HORKEL

ANALECTA HORATIANA

SCRIPSIT

IOANNES HORKEL

PHIL. D. PROF. R. COLLEGII FRIDERICIANI REGIMONT. DIRECTOR INSTIT.
ARCHAEOL. ROMANI ACADEM. ARETINAE ET PONTANIANAE SOC. RP.

BEROLINI
TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI.
A. MDCCCLII.

AUGUSTO MEINEKIO

SOCERO DILECTISSIMO

S.

D. IN PAEDAGOGIO ZUELLICHAVIENSI

KAL. MART. A. MDCCCLII.

Quod vere ac graviter praecipitur a M. Tullio offic. I. 2, omnem de aliqua re institutionem, quae a ratione suscipiatur, debere a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id de quo disputetur: id meo quodam iure in hoc quaestionum Horatianarum genus transferre mihi videor. Nam quum dixero me de versibus Venusini poetae non plane paucis ita disputaturum esse, ut librariorum errores, quibus adhuc laborant, tollere coner ac per totum libellum criticae artis finibus me contineam: non deerunt, opinor, qui aut illud ‚en Bentleii simia' in me iaciant et si qua honestiora norunt vocabula — memini enim simile quid quibusdam evenire, qui aliquanto supra me collocati sunt — aut negent familiarem sibi ac diuturna consuetudine cognitum poetam tali opera egere, quod hominum genus quum olim Bentleius extimuisset, nuper Godofredus Hermannus in ea commentatione, quam de primo Horatii carmine scripsit, tam non pares sibi adversarios fortiter contemnere quam timere maluit. Qui prudentius iudicant, prudentius, uti par est, interrogabunt, quibus ego finibus criticam operam in Horatio emendando circumscribendam esse censeam. Nam posteaquam intellectum est, emendandi facultatem non totam in quadam celeritate ingenii cogitationisque acumine esse positam, sed ipsam quoque in artem quasi quandam redigi posse, atque, si universe iudicetur, eos, qui in codicibus conferendis eorumque fami-

liis, quas vocant, describendis versati sint, dummodo probabili scientia instructi fuerint, plus fere profecisse, quam ingeniosissimos atque antiquitatis peritissimos homines, qui certam viam nullam secuti modo summa quaeque attigerint, modo longissime a vero aberraverint: multi de omni hoc coniectandi artificio iniquius iudicare solent. Quodsi quis idem de Horatii emendatione statuat, is quam perverse agat facile demonstrari potest. Nam ii Horatii libri, qui adhuc supersunt, tantum non omnes — licet enim paullo confidentius iudicare post editas Caroli Kirchneri novas quaestiones Horatianas, quo in libello clarissimus vir quinquaginta codices accurate descripsit — aut mali aut mediocres dicendi sunt, quum neque insigni vetustate commendentur neque ullus eorum interpolationis vestigiis carere videatur: qui unus omnium optimus, imo qui solus valde bonus fuit, Blandinium antiquissimum tristi clade absumptum esse constat. Ac bene sane nobiscum actum est, quod ille paucis ante fatalem cladem annis in Iacobi Cruquii manus incidit, docti ac laboriosi hominis, cuius diligentia effectum est, ut non paucis locis, quid in illo scriptum fuerit certo sciamus: at quantulum id est eo in libro, qui totus aere vel typis exscribendus fuit, quo honore Vergilii codices antiquissimi, illo vix praestantiores, digni sunt habiti. Quae quum ita sint, nulla unquam diligentia in codicibus vel conferendis vel disponendis adhibita tantum valebit, ut ex artis praeceptis ea ubique scriptura indagari possit, quam tuto Horatianam dicas: idque sensisse videtur is, qui longe plurimos libros examinavit, Kirchnerus, ac sentiemus omnes, si quando ediderit ille copiosiorem de codicum familiis commentationem, quam pollicitus est se editurum esse. Itaque postquam Blandinius liber periit, 'nos rursus in bellum resorbens unda fretis tulit aestuosis': certo enim fundamento destituti aut desperabimus de Horatii salute, aut eam viam ingrediemur, quae sola nunc

patet, saltuque ea attingere conabimur, ad quae adscensus nullus est.

Certos igitur fines, intra quos Horatii emendatio subsistere debeat, nullos ego video, nisi quos ipsa ratio describit. Ut enim suspecta eorum liberalitas est, qui poetis ubique ea obtrudenda esse arbitrantur, quae ipsis pulchra aut pulchris etiam pulchriora videntur, ita eam nimiam iudico patientiam, si quis quicquam ab Horatio scribi potuisse sibi persuadeat, quod cum recta ratione pugnet. In emendandis iis, quae corrupta esse ex eiusmodi argumentatione apparet, e vulgaribus artis praeceptis ea adhibenda sunt, quae usus confirmavit: Blandinio denique libro plurimum debet tribui, ita tamen ut meminerimus illum etiam tribus vel quattuor post Horatium seculis exaratum esse, ipsique Prisciano propter librorum discrepantiam non ubique constitisse, quid scripsisset poeta (Bentl. ad carm. III. 17. 4). Praeter haec pauca haud facile quicquam universe praecipi potuerit, atque est ea coniecturarum, quae vocantur, natura, ut singulae examinandae sint, neque qui alteram probaverit, non possit de altera dissentire. Quod quam verum sit, vel solum Bentleii exemplum demonstrat: nam si ab iis disputationibus discesseris, quibus ille antiquiorum codicum auctoritatem contra temerariam grammaticorum licentiam ita defendit, ut nemo dubitare possit quin rectissime iudicaverit, pauca a summo viro scripta sunt, quae non aliis iisque doctissimis hominibus magnopere placuerint, aliis non minus doctis operose quaesita ac paene inepta sint visa: neque melior Lachmanni sors fuit. Quid quod ne illud quidem artificium scite nuper intellectum, quo Horatius in carminibus per quaternorum versuum strophas componendis usus est, ullius carminis certam atque communi consensu probatam emendationem criticis subministravit, quum constet similia, semel in aliquo scriptore observata, ad inveteratos errores corrigendos plurimum fere

contulisse. Nam postquam promulgata est illa lex, uno de loco (carm. IV. 8. 17), qui iamdudum in suspicionem adductus erat, magis etiam dubitare coepimus, quae tamen dubitatio nondum fuit ita fructuosa, ut certi quicquam inventum sit. Itaque quod periti harum rerum vel maxime opus esse iudicant, ut post tot *σχολικὰ ὑπομνήματα* hac aetate edita, quorum aliqua pars intemperantius videtur protrusa esse, a pluribus ad criticae artis severitatem redeatur, nisi patienter ferre velimus, Horatiana studia, quo magis pinguescant, eo magis etiam sterilescere: id et ipsum factu difficile est et non admodum faustis auspiciis suscipitur. Atque fateor me aliquamdiu dubium haesisse, num mea qualiacunque inventa ederem: at latet in iis, quae probabiliter nobis videmur invenisse, caeca quaedam vis, quae morae nimis diuturnae impatiens vel invita et reluctantia e studiorum umbraculis in solem ac pulverem protrahit, accessitque quorundam maxima in his literis auctoritas, qui nonnulla, quae cum ipsis communicaveram, ita amplectebantur, ut ultro me ad scribendum adhortarentur. Feci igitur, quod non potui non facere. Quodsi quis brevius mihi scribendum fuisse censuerit, ingenue profitebor, brevitatem in huiusmodi disputationibus eorum mihi propriam videri, quorum ipsa nomina argumentorum vicem quodammodo expleant: nos, qui summa quaeque assecuti sumus, si tantundem a pessimis distare iudicamur, quantum distamus ab optimis, non habemus, opinor, cur idem nobis sumamus. Qui vero in nonnullis locis tractandis maiorem doctrinae copiam me adhibere debuisse dixerit, adsentientem me habebit: at sunt haec in magna et otii et bonorum librorum penuria a me scripta.

Genus ipsum, in quo libellus noster versabitur, quum prope infinitum dixerimus, ad eandem definiendi necessitatem revolvimur. Nam post arduum illum et paene Icarium Peerlkampii volatum, quamvis plerisque ingeniosi viri audacia

suspecta sit visa, stimulum tamen quendam haesisse et adhuc haerere nemo facile negaverit: non pauci enim loci sunt, maxime in carminum libris, quorum de origine ipsaque vi ac natura ita dissentiunt viri docti, ut pro sententiarum diversitate eadem aliis pulchra, aliis vel tumida vel nimis exilia, aliis Horatiana, aliis Horatio plane indigna videantur. Itaque ei, qui de Horatio se dicturum profitetur, sane dicendum est, utrum Horatium intelligat Peerlkampianum vel Peerlkampiani similem, an eum, quem vulgo Horatium nominant. Est ea res eiusmodi, ut aut ne attingi quidem debeat, aut longa disputatione pertractari. Hoc a nostro instituto alienum ducimus, ut qui librarios negligentiores ac grammaticos in emendando parum felices insectaturi simus, mediocres poetas, si qui suos pannos Horatio assuerint, non item. Satis igitur fuerit, quum hoc quidem loco simpliciter dixero, post cognitam causam et recognitam persuasum mihi esse, nostras Horatii editiones, si in numerandis versibus subsistas, eorum exemplarium, quae olim in Sosiorum taberna prostiterunt, simillimas esse atque, ut summum dicam, quindecim fortasse versus postea demum mihi illatos videri. Imo alia plane res est, quae longe graviorem ac diuturniorem dubitationem mihi movit, quamquam editores Horatii paene omnes minus de ea sollicitos fuisse intellexi: dico criticam illam operam a Vettio Agorio Basilio Mavortio in Horatio, quinque fere seculis post poetae mortem, collocatam. Nam si verum esset quod Bentleius in praefatione suae editionis p. X ed. Lips. monuit, nos Flaccum ex Mavortii recensione hodie habere, si omnes nostri libri ex isto fonte manavissent, denique si ipse Mavortius in corrumpendis et evertendis versibus tam stolide audax fuisset, quam visus est quibusdam: equidem sensa praeclari poetae admirari pergerem, in singulis vocabulis iisque interdum minutissimis emendandis non luderem operam. Quo id iure dicam, intelligent, qui paullo accuratius

codices Horatianos seculo XIV et XV scriptos cognoverint. Sunt enim in novitiis istis libris interpolationis plane innumera vestigia, quum librarios nihil antiquius habuisse appareat, quam ut ea, quae ipsi scriberent, et quam facillima intellectu et quam elegantissima viderentur. Artis autem quum parum gnari essent, neutrum recte perficere potuerunt: saepe enim minus obviis vulgaria temere substituerunt; saepe ea vocabula, quae in eodem versu posita inveniebant, ita, ultimis potissimum syllabis mutatis, inter se coniunxerunt, ut vanam quandam rectae constructionis speciem captarent, verae syntaxis aut parum periti aut parum curiosi; non raro denique gratam illam Horatii audaciam tum demum recte elucere putaverunt, quum ipsi pro nimis communibus ea posuissent, quae reconditiora et poeta digniora iudicabant. Eandem rationem si Mavortius secutus esset, quotum quodque vocabulum tuto Horatianum dici posset? Est tamen, quod hanc desperationem mitiget atque leniat. Nobilissimos enim homines, quos scimus in codicibus emendandis versatos esse, non puto eam laudem quaesivisse, ut inter grammaticae artis principes referrentur, iique libri, quos ipsi correxissent, publicam quasi quandam auctoritatem nanciscerentur: prospiciebant illi sibimet ipsis suisque amicis aeque literarum studiosis. Quod si qui aliorum opera ad corrigendos libros utebantur, ne illi quidem publicam laudem merere volebant, sed suos thesauros, quam maxime possent, augere, cuius rei insigne exemplum Victorianus ille suppeditat, qui primam T. Livii ab urbe condita decadem 'domnis Symmachis' a se emendatam esse notis illis subscriptionibus monuit. Quamquam igitur perquam credibile est, eiusmodi nobilium familiarum domestica exemplaria, ut quae accurate recognita essent ipsaque auctorum nobilitate commendarentur, alios etiam expetivisse ac descripsisse: hoc tamen aegre mihi persuaserim, semel eiusmodi recensione facta, reliqua exemplaria omnia

ex uno illo ducta vel ad unius normam exacta esse, ea praesertim aetate, qua tot antiquissimos libros in manibus hominum fuisse consentaneum est. Videtur sane Horatius singulari sorte usus esse, quae qualis fuerit non potest accuratissime dici in tanta rei obscuritate: sunt tamen in eius satiris maxime atque epistolis nonnullae corruptelae satis apertae atque tales, ut vix videantur explicari posse, nisi statuas, ita olim in uno aliquo libro perantiquo erratum fuisse eosque errores hereditario quodam iure inde propagatos esse, cuius rei exempla postea a nobis afferentur. At hoc quidem non credo, post illud seculum, quo Mavortius vixit, rem unquam eo adductam esse, ut unus vel duo Horatii codices iique e Mavortiano descripti superarent, ita ut librarii etiam inviti Mavortium sequi deberent. Probabilius coniici possit, non plane idem, at simile quiddam aliquanto ante accidere potuisse iis temporibus, quibus et literarum fontes permultos exaruisse credibile est et ipsos etiam rivulos rariores et inventu difficiliores fuisse. Itaque ut nihil dicam de libro Blandinio antiquissimo, qui vix dubito quin ipso Mavortio vetustior fuerit, reliquos etiam, qui carent illa clarissimi viri subscriptione, quo antiquiores sint, eo propius ad eorum codicum similitudinem accedere arbitror, qui quinto quartove seculo vel ferebantur vel delitescebant, quamquam id quidem non ausim praefracte negare, posse etiam inter hos non subscriptos codices unum vel alterum Mavortianum latere ac fortasse in vetustissimis etiam; quos habemus, antiquiora Mavortianis mista ac temperata esse, quod variorum librorum scripturas miscendi studium — contaminationem recte dixeris — in recentioribus codicibus haud raro deprehenditur. Haec si probabiliter disputata sunt (certi enim nihil dici potest), ut operam in familiis librorum constituendis ponendam magnopere impediunt, ita magnum nobis solatium afferunt: etenim si ii libri, qui nunc supersunt, partim a Mavortio sunt partim

non sunt, non est eorum tanta diversitas, ut illum tam licenter grassatum esse tibi persuadeas, ut non adhuc eius poetae, cuius sensa admiramur, verba etiam ac voces expendere et ad rectae rationis normam exigere liceat. Atque illud argumentum, quo nonnunquam utuntur ii, qui de Mavortii temeritate declamant, nunc probabili coniectura iis extorqueri potest, ita ut vel contrarium inde efficiatur. Provocant ad decantatum hunc locum sat. I. 6. 125 ‚ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum admonuit, fugio campum lusumque trigonem.' Exscripti sunt ipsi hi versus a Servio ad Verg. Georg. III. 443, sed ita, ut secundi versus clausula ‚fugio — trigonem' omissa sit, quam clausulam codices Horatii ita scriptam exhibebant: ‚fugio rabiosi tempora signi.' Id quum omnes patienter ferrent, Bentleius veram scripturam, olim a Cruquio in Blandinio antiquissimo repertam, restituit et interpolationis perversitatem egregie demonstravit. At parum caute faciunt, qui id crimen in Mavortium conferunt: vera enim illa scriptura, quae, quod in nullo praeterea libro comparebat, paene suspecta videbatur, nuper a Kirchnero inventa est in codice Gothano valde novitio (est enim sec. XV exaratus), at ex admodum antiquo exemplari, ut apparet, descripto (Nov. quaest. Hor. p. 22 sqq.). Est ille Gothanus liber quodammodo duplex: altera eius pars satiras et epistolas continet, omissa arte poetica, altera carminum libros quinque (ita enim numerantur) et carmen seculare. Alteram hanc partem neque pari cum cura neque eadem manu atque priorem scriptam esse Kirchnerus monuit: nescio tamen an vel propterea, quod altera cum altera coniuncta praeter poeticam artem, de cuius omissione mox coniecturam proferemus, Horatiana omnia complectitur, admodum credibile videri debeat, utramque partem ex eodem codice a duobus hominibus exscriptam esse neque fortuito accidisse, ut in unum illud Gothanum volumen coirent. Quod si verum est, iam non licebit

reum agere Mavortium, quum veram scripturam ab illo mutatam non esse appareat: habet enim secunda pars eam subscriptionem, quae Mavortianam recensionem in illo libro exhibitam fuisse demonstrat, qui Gothani archetypon fuit. Atque est in hac causa longius etiam progrediendum.

II

Mavortianos codices sex nunc novimus: duobus, Leidensi et Reginensi, usus est Bentleius: duos Parisinos, quorum alterum sec. X scriptum E, alterum tribus seculis post exaratum R appellat, primus contulit Vanderburgius: de Bruxellensi post Schneidewinum a compluribus disputatum esse memini, quae enim scripserunt, nunc inspicere non licet: sextus nuper accessit Gothanus. Qui libri quantumvis aetate inter se distent, hoc tamen omnium commune est, quod notam illam subscriptionem ‚Vettius Agorius Basilius Mavortius v. c. et inl. excom. dom. excons. ord. legi et ut potui emendavi conferente mihi magistro Felice oratore urbis Romae' post epodos maiusculis literis scriptam exhibent. Itaque quum olim Bentleius arbitratus esset, Mavortii operam ad totum hoc Horatianum volumen pertinuisse, quae eius sententia adhuc non paucis placet, Vanderburgius eam viam ingressus est, ut propter ipsum locum, quo posita inveniretur subscriptio, sola lyrica carmina ab illo recognita esse diceret (I. p. 396). Qua in re adsentientes habuit praeter alios nonnullos et Godofredum Hermannum, si recte interpretor, quae scripta sunt a viro summo in commentatione de primo carmine Horatii p. 6, Mavortium Horatii carmina, ut potuerit, emendasse, et Carolum Kirchnerum, qui ipsam illam sententiam copiosius exornavit (Nov. qu. Hor. p. 24). Atque mihi quidem illud videtur rectissime ab his viris intellectum esse, ad partem tantummodo opusculorum Horatii

recensionem spectasse: num recte de solis carminibus cogitaverint, magnopere dubito. At id ipsum permultis parum credibile visum iri existimo, quemquam unquam ita vel otio caruisse vel laboris impatientem fuisse, ut ex tam non magno volumine partem sibi tractandam sumpserit, reliquâ ne attigerit quidem. Debet id sane incredibile videri, si rem nostra studiorum assiduitate atque constantia metimur, sed cedendum utique est et ipsorum verborum ponderi et similitudini exemplorum. Idem enim, quod in nostro consulari miramur, in Vergilio recensendo factum est ab Rufio Turcio Aproniano, qui ipse quoque clarissimatu insignis fuit. Cuius subscriptio quum post Bucolica posita sit, in Georgicis autem atque Aeneide nullum eius vestigium compareat, certum esse arbitror, ipsam eius operam Bucolicorum fines non excessisse, neque quicquam ab iis, qui aliter sentiunt, allatum video, quod hanc persuasionem labefactet. Provocant ad Iulium Sabinum, qui non raro ad Aeneidos versus de Aproniani scriptura aliquid adscripserit, de Bucolicis autem disserens Aproniani etiam interpretamenta nonnulla commemoret: at istud quidem argumentum quam non validum sit apparet. Num mirabimur, Iulium illum Sabinum, quisquis fuit, eodem modo errasse, quo erravit ipse Bentleius, ut, quae in libro ita posita erant, ut ad partem libri referenda essent, temere ad totum librum pertinere opinaretur? quo commisso errore, si in sui codicis margine scholia quaecunque scripta videbat, nonne consentaneum fuit, ut illa quoque ad Aproniauum referret, cuius in regno totus sibi versari videbatur? Quamquam de commentario isto aliter iudicari posse intelligo. Cur enim non potuerit Apronianus in Bucolicis idem et criticum agere et interpretem, praesertim quum simile quiddam de M. Valerio Probo significare videatur Suetonius, quum illum multa exemplaria contracta emendare ac distinguere et a d n o t a r e curasse tradit (gramm. 24)? Vereor tamen ne fallax sit ista

probabilitatis species. Quamvis enim intricata sit tota haec de Probis quaestio, eum tamen, qui legerit, quae Suetonius in ipso libelli fine de eodem homine scripsit: ‚nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit: reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui', mecum consensurum arbitror, non potuisse Suetonium ita loqui, si cognitum habuisset, ab illo Probo Berytio multum operae in antiquorum libris perdoctis commentariis, qualis Vergilianus est, qui nunc Probi nomine commendatur, illustrandis positum fuisse: quod si fecisset, silvam illam sine dubio in ligna ac materiem ipse convertisset. Erit igitur prior locus de illis criticorum signis interpretandus, quae versibus adpingebant, ut intelligeretur, quid esset ‚pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non', quid vel alieno loco positum vel falso repetitum, quid denique quacunque de causa ipsis suspectum videretur: ad Aproniani autem commentarium quod attinet, credibilius videri debet, errasse Iulium Sabinum, quum facillime errari posset, quam libro usum esse, cuius aliud nullum vestigium extat. Ac minus etiam alteri argumento tribuerim, quo Aeneida quoque et Georgica ab illo emendata esse quidam defendunt. Nam quod hi Mediceum codicem ipsa Aproniani manu correctum atque literarum, quibus emendationes per totum volumen versibus suprascriptae sint, eam ubique similitudinem esse aiunt, ut omnia eiusmodi additamenta ab eodem homine scripta intelligas: id nescio an fundamento parum certo superstruxerint. Quid enim impedit, quominus statuamus, omnia illa ab uno homine adscripta esse, ita tamen, ut in Bucolicis Aproniani recensionem, in reliquis alium quemcunque codicem secutus sit? Neque ea coniectura vana aut temeraria videbitur iis, qui ipsam subscriptionem propius inspexerint, quam ubicunque editam inveni, haec legebam: '— legi et distinxi codicem fratris Macharii v. c. non mei fiducia set ejus cui si et ad omnia

sum devotus arbitrio —'. At haec quis intelligit? imo interpositum illud si ita turbat orationem, ut vix dubitari possit, quin corruptela laboret locus, quam utut sanare studemus, sive scribimus 'cui sic et ad omnia', vel, quod mihi probabilius videtur, 'cuius et ad omnia': hoc certe efficitur, illas lineas non esse ipsa Aproniani manu exaratas: aliena enim, opinor, a clarissimo viro ea negligentia est, quam in lapicidis antiquis saepe miramur, in librariis ne miramur quidem. Quae si vera sunt, totum illud argumentum nullum est. Addam alterum exemplum, quo magis appareat, quam artis interdum finibus veteres critici, qui quidem nobiliores essent, operam suam circumscripserint. In T. Livii decade prima emendanda praeter Victorianum, de quo supra monuimus, duo viri versati sunt summo loco et orti et collocati, Nicomachus Dexter v. c. ac Nicomachus Flavianus III. praef. urb., quibus de viris optime nuper exposuit I. B. eq. de Rossi in commentatione Romae a. 1849 edita (l'iscrizione della statua ristabilita di Nicomaco Flaviano seniore. Annali dell' instituto archeol. vol. XXI). Subscriptiones illorum e codd. Florentino ac Leidensi editae a Drakenborchio (vol. XV. I. p. 614 sq. Stuttg.), in duobus praeterea Vaticanis libris inventae sunt ab eq. de Rossi (l. l. p. 41). Qui quae ex codicibus suis enotarunt, si in certum ordinem rediguntur, tres libros a tertio usque ad sextum a Nicomacho Dextero emendatos esse intelligimus, qui quid in prioribus libris praestiterit, non definit accuratius, quintum ad exemplum parentis sui Clementiani se emendasse narrat: sextum librum ac septimum Nicomachus Flavianus emendavit; alterum, ut videtur, Romae, alterum in Sicilia 'apud Hennam', ut ipse scribit. Octavo in solo Florentino codice aliquid de Flaviano subscriptum est ita: 'Emendavi Nico. Flavianus $\overline{\text{VEC}}$ ter praef. urb. apud Term.', in quibus pro $\overline{\text{VEC}}$ scribendum esse $\overline{\text{V.C.}}$ recte monuit Drakenborchius, idemque probabiliter coniecit haec 'apud

Term.' olim sic scripta fuisse 'apud Hennam.' Itaque nisi quis licentius coniecturis indulgere velit, ea libris optimae notae fides habenda erit, ut neutrius Nicomachi operam plus quam ternos libros complexam esse agnoscamus: atque ne illam quidem trium librorum emendationem uno quasi impetu videntur perfecisse, quum alter ad unum librum emendandum parentis sui codicem adhibuerit, ad reliquos non item, alter unum librum, si recte divinavimus, apud urbem, reliquos duos in Sicilia correxerit.

Quae quum ita sint, non est cur miremur, Mavortium idem fecisse, quod factum vidimus ab Aproniano ac Nicomachis, neque quisquam causas indagare volet, cur illi tam lente festinaverint: possunt enim plures excogitari, quam ut ulla imprimis probabilis videatur. Illud potius quaerendum erit, quotam ille Horatiani voluminis partem recognoverit. Atque illorum sententiam, qui lyrica carmina illud examen subiisse statuunt, minus mihi probari, supra a me significatum est: cur ita sentiam et quid probem ipse, ut plenius intelligatur, de ordine dicendum est, quo Horatii opuscula in Mavortianis libris sunt disposita. Quorum qui antiquissimi sunt, duo illi Bentleii et Vanderburgii cod. E, in iis constanter hic ordo servatur, ut primo loco carminum libri IV ponantur, sequatur ars poetica, dein epodi cum subscriptione, carmen seculare, epistolae denique ac satirae. In Gothano libro et ars poetica omissa est ab altero librario, quippe quae carminibus non apte interposita videretur, et satirae praecedunt epistolas, id quod alterum ea de causa instituisse crediderim, quod ea libros disponendi ratio, quam nunc sequimur, iam illo tempore in consuetudinem venerat. In tanto antiquissimorum codicum consensu vix videtur dubitari posse, quin in eo exemplari, quod emendavit Mavortius, eadem dispositio fuerit: neque tamen dixerim, ipsum opuscula ita ordinasse, imo quum alii etiam satis antiqui libri, qui carent

subscriptione, eandem rationem sequantur (quorum complures vidit Bentleius, unum sec. X exaratum Vanderburgius descripsit, B ab ipso vocatum I. p. 390), verisimilius est aut per omnes codices, aut per numerosam et antiquissimam quidem eorum familiam illum morem propagatum esse, neque ea in re quicquam novasse Mavortium. Iam si quis, omnem scilicet temeritatis vel suspicionem vitaturus, illum in solis epodis versatum esse statuat, nostro iure id credi posse negabimus, quum consentaneum sit, ab ipso codicis initio emendandi etiam initium factum esse. Neque vero illi qui de solis carminibus cogitarunt, habebunt quo sententiam suam tueantur: quis enim sibi persuaserit, hominem lyricae poesis studiosum seculare carmen a ceteris carminibus ita segregasse, ut illud ne emendandum quidem duxerit? Itaque rectius statuemus, praeter carminum libros IV atque epodos poeticam etiam artem Mavortii curam expertam esse; quam diversorum carminum coniunctionem non mirabimur in eo homine, quem probabile est, non carminibus, quae ex eodem genere essent, inter se conferendis atque ad iudicii artisque elegantiam exigendis poeticas veneres captasse, sed hoc unum egisse, ut codicem haberet quam emendatissime scriptum. Hoc tamen mihi quoque mirum videtur, quod substitit ante carmen seculare, quum appareat, epistolarum initium aptiorem fuisse requiescendi locum. Quae dubitatio nescio an ita tolli debeat, ut statuamus, Mavortium Horatii codicem habuisse sive casu sive quacunque de causa in duo volumina divisum, quorum alterum ea complectebatur, quae ab illo emendata sunt, alterum carmen seculare, epistolas, satiras. Potest vel sic utrumque volumen non plane exiguum fuisse, quum constet, quam magnis literarum formis iam inde a primo p. Chr. n. seculo (siquidem de Liviano fragmento paucis abhinc annis ex Hispania allato recte iudicavit Pertzius, gravissimus harum rerum auctor) Romanorum librarii sint

usi. Quae coniecturae nostrae, quamvis probabiles, tamen everterentur, si vera essent, quae scripsit Kirchnerus l. l. p. 24. Is enim quum in Gothano libro ante seculare carmen hunc titulum positum repperisset: ‚Incipit carmen seculare, quod patri meo et matri meae cantaveram ad chorum puerorum puellarumque ad Apollinem et Dianam proseutice tetracolos', eademque in Menteliano codice (p. 43 sqq.) ita in brevius contracta exstitisse e Lipsiensi codicis collatione intellexisset: ‚Incip. Sclare. carm. qd. patri. ne cantaver. ad chorum puellarumque', haec quoque ad Mavortium retulit, ut qui olim puer vel adolescentulus illud carmen coram parentibus cecinisset idque postea, vir factus, dignum iudicasset, quod adnotaret. Seculare autem carmen si attigisset ille, i. e. si ultra suam subscriptionem progressus esset, concidit nostra argumentatio, neque est, cur epistolas etiam ac satiras ab eodem homine pertractatas esse negemus. Quod tamen doctissimi viri commentum dubito num multis sit placiturum. Mavortius enim si in publicis sollennibus quibuscunque Horatii carmen cecinisset, poterat id fortasse illustri etiam viro commemoratione dignum videri: sin vero id cantandi periculum in privata domo fecit, quum soli parentes adessent, quis, quaeso, criticam operam, quam professus est, propter tam pusillam rem deseret eaque adnotabit, quae et ipsa levissima sunt, neque cum totius instituti ratione quicquam commune habent? Accedit ipsius orationis obscuritas: nam haec formula ‚ad chorum puerorum puellarumque cantare', si recte memini, neque de eo usurpatur, qui chori cantum strophis quibusdam, quas solus cantat, interpellat ac distinguit, neque chori dux ac magister apte ita describitur. Gravius etiam hoc est, quod neminem facile explicaturum arbitror, qui in ea sententia plusquamperfecto tempore uti potuerit Mavortius, quod a toto loco ita alienum est, ut doctus quidem homo ne sexto quidem seculo ita scripturus fuerit.

Itaque quae legenti sponte suboritur suspicio, illam adnotationem non ad privatam unius hominis vitam referendam esse, sed eam ibi rationem describi, qua carmen olim in ipsis ludis secularibus cantatum fuerit, videndum erit ne verissima sit. Ac mihi quidem tres carminis inscriptiones inter se diversae ab imperito librario ita in unam videntur conflatae esse, ut quae singulae rectissime se habent, temere coniunctae neque recte cohaereant neque probabilem efficiant sententiam. Primam (liceat aliquantisper cancrum imitari) hanc pono: ‚Ad Apollinem et Dianam proseuctice tetracolos'; altera haec fuit: ‚Ad chorum puerorum puellarumque' vel ‚Incipit carmen seculare ad ch. p. p.' In qua interpretanda dubitari possit an provocandum sit ad Porphyrionem, qui octavam secundi libri satiram, qua Fundanius de Nasidieni coena loquens inducitur, ‚ad Fundanium' scriptam dicit, quod aut plane perversum est, aut demonstrare videtur, illud carmen, in quo chorus canens quodammodo inducatur, posse ‚ad chorum' inscribi. Haec tamen ratio contortior est, quam ut uno exemplo satis firmetur: erit igitur in simplicissimis subsistendum: seculare enim carmen ut scriptum fuit ad Apollinem et Dianam, ita datum ac missum est ‚ad chorum puerorum puellarumque.' Quae supersunt ita emendanda censeo: ‚Incipit carmen seculare, quod patrimi et matrimi cantaverunt': nisi malis, quae est eiusmodi formularum prolixitas, praeter patrimos et matrimos etiam patrimas et matrimas commemoratas fuisse. Teste si opus videtur in hac causa, Zosimus excitandus est, qui hist. II. 5. 12 haec habet: *ἡμέρᾳ δὲ τρίτῃ ἐν τῷ κατὰ τὸ παλάτιον Ἀπόλλωνος ἱερῷ τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων, οἱ πάντες ἀμφιθαλεῖς, ὅπερ ἐστὶν ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας, ὕμνους ᾄδουσι κ. τ. λ.*: eiusque moris si grammaticus aliquis vel librarius in ipso carminis titulo mentionem fecit, eius et doctrinam laudabimus et consilium non

improbabimus. Qua emendatione posteaquam Mavortium una cum patre ac matre expulimus, nihil est, quo demonstrari possit, subscriptionem illam non esse finiti et exacti laboris qualecunque monumentum, nostraque sententia ab hac quidem parte satis munita videbitur.

Superest ut quaeramus, qua aut prudentia aut temeritate Mavortius criticam artem intra fines a nobis descriptos factitaverit. Quam quaestionem qui ita solvunt, ut ex ipsa hac formula ‚legi et ut potui emendavi conferente mihi magistro Felice oratore urbis Romae' satis confidenter colligant, Mavortium singula carmina recitasse, magistrum suum exemplum inspexisse et lectionum diversitatem indicasse, ac tum ambos lectionem constituisse, quae ipsis vera videretur: ii fortasse recte iudicarunt, at dubitantius tamen dicendum erat. Nam id quidem nullis machinis efficietur, ut lectionem ubique de recitatione interpretemur, quum appareat, illum etiam, qui solus in musei umbra codicem correxerit, librum et legisse et emendasse, eaque quae Caesaris commentariis de bello Gallico olim subscripta sunt ‚Iulius Celsus Constantinus v. c. legi' solitariam ut ita dicam operam indicare videantur. Haec autem ‚conferente mihi magistro' probabiliter de libri alicuius collatione explicari concedo: eadem tamen de re Securus Memor Felix V. Sp. Com. Concist. Rhetor R., qui Martianum Capellam emendavit, alio vocabulo usus est, quum scripsit haec: ‚contra legente Deuterio Scholastico discipulo meo.' (de tota hac re docte disseruit de Rossi l. l. p. 46 sqq.) Quodsi quis statuat, idem, quod hic contra legere dicatur, legere dictum esse a Mavortio, primas partes in Horatio emendando non Mavortium egisse iudicandum erit, sed magistrum, quum tamen vix credibile sit, secundario eiusmodi munere contentum fuisse virum nobilissimum. Itaque non plane absurde dubitabitur, an licuerit Mavortio, illum sibi contulisse dicere, cum quo singula

quaeque, quae ipsi obscuriora viderentur, inter emendandum contulisset. Quae coniectura certissima deberet videri, si tuto provocare liceret ad ea, quae universe significat C. Lachmannus in commentario Lucretiano p. 3, ubi de reliquorum codicum archetypo disputans haec scripsit: 'hoc tamen confitendum est, neque librarium rem suam satis studiose egisse, neque correctores, quos in libro expoliendo curam collocasse apparet, multa ab illo peccata emendasse: certe ne unum quidem ex iis versibus quos omisisset restituerunt; ut videantur mihi codicem suum, ut fere dicebant, sine exemplario legisse et ut potuerint emendasse'. Unde si collegeris, illa praescriptione, quae inest in hac formula 'ut potui', usos non esse nisi eos, qui codices nullos adhiberent praeter unum illum, in quo emendando versabantur, plus fortasse illis verbis tribues, quam tribui iis voluit vir summus: neminem tamen ita locutum esse crediderim, cui licuerit libros consulere et optimos et antiquissimos. Dura igitur illius conditio fuit, qui Nonii Marcelli codici haec subscripsit, quae ab Arevalo ad Sedul. p. 89 mutuatus est de Rossi l. l. p. 49: Iun. Trifon. Sabin. Protector Dom. — prout potui sine magistro emendans annotavi —': meliore usus est Mavortius, cui magister certe non defuit. Num unum codicem ad manus habuerit, an duos, parum liquet: si duos habuit, neutrum ipsi insigniter bonum visum esse, certum, ut opinor, est. Erat igitur tota emendatio in coniectura posita, id est in subtilitate iudicandi inveniendique sollertia, atque idem fere audere oportebat Mavortium, quod ausus est Securus Memor Felix, qui Martiani nuptias 'ex mendosissimis exemplaribus' emendavit. At id ipsum suspicionem movebit, ne perniciosissima fuerit Mavortii opera, iique libri, qui illius subscriptionem habent, caute vitari debeant. Etiamsi enim largiamur, maximam sine dubio diligentiam a duobus illis criticis in codice distinguendo collocatam esse, quae cura ut plurimum fere

confert ad librum aliquem rectius ac plenius intelligendum, ita ad corrumpendum non multum valet, ne tum quidem, quum perperam instituitur; etiamsi concedamus permulta, quae librarii propter festinationem vel oscitantiam peccaverant, rectissime correcta esse, ut adhuc in libris, qui operarum erroribus scatent, pleraque inter legendum inscii ac paene inviti emendamus: multi tamen loci restant, quorum emendatio facilior videri poterat, quam erat revera. Itaque res ex ipsis codicibus Mavortianis iudicanda erit: quo in negotio hoc molestissimum est, quod ne ii quidem ubique inter se consentiunt. Nam Gothanum sane librum et illum, qui a Vanderburgio R appellatur, quorum alter sec. XV, alter ducentis fere annis ante scriptus dicitur, in hac quidem causa non multum respiciemus: at inter ipsos illos libros, quibus Bentleius usus est, Leidensem et Reginensem, ea interdum diversitas intercedit, ut, si subscriptionem omittas, vix ullam eorum cognationem agniturus sis. Bonum factum quod Vanderburgii cod. E. accessit, sec. X ab accuratissimo, ut videtur, librario exaratus. Quod enim re accuratius ponderata coniici etiam antea poterat, Reginensem librum in contaminatis, quos vocavi, habendum esse, id confidentius nunc pronunciare licet, quum Leidensis et hic Vanderburgii ita fere semper inter se consentiant, ut probissimos testes audire tibi videaris, neque quicquam magis dolendum sit, quam quod neuter ea, qua decebat, diligentia collatus est, nam ne Potterii quidem opera, qua uti non licuit, magnopere laudatur. Horum igitur librorum consensui etiam soli plurimum tribuendum erit: cum quibus ubi conspirat Reginensis, vix videtur dubitari posse, quin ipsam Mavortii scripturam habeamus.

Itaque ea quidem culpa vix poterit ille liberari, in quam incidunt, qui, quae ipsis mira atque inaudita videntur, temere facilioribus mutare malunt, quam accuratius investigare. Etenim carm. I. 4. 8 haec ‚Volcanus ardens u r i t officinas'

difficilia nunc etiam videntur, quin Horatiana sint hodie vix quisquam dubitat: at in Leidensi ac duobus Vanderburgii E et R visit scriptum est, quam scripturam Mavortium iisdem fere de causis praetulisse existimo, propter quas ipsi Bentleio probabatur. Simile hoc est, quod carm. IV. 4. 36 codd. Leid. Reg. E non indecorant exhibent, quod ut verissimum est, ita etiam bono libro, quem B appellat Vanderburgius (I p. 390), defenditur, sed dedecorant: Mavortio idem opinor accidisse, quod accidit Bentleio, ut vocabuli, cuius nunc unum exemplum ab Attio repetitur, ne unum quidem nosset. Difficilius est de hoc loco iudicare carm. III. 3. 34 ‚ducere nectaris sucos': ibi enim ducere, quod in Mavortianis est Leid. et E, nunc fere probatur, at multi ac satis antiqui libri discere habent, idque praeter Vanderburgii cod. B etiam Reginensis exhibet. Tantum certe apparet, Mavortium eam scripturam tueri, quae altera longe facilior est, ac fateor, mihi perquam dubium videri, an discere, quod durum esse nemo negaverit, tamen patientia molliendum sit: est enim vocabulorum nimia similitudo, quam ut e Cruquii silentio tuto colligere liceat, ducere in Blandiniis fuisse. In hoc tamen facilitatis studio modum ab illo servatum esse apparet, quum multi carminum loci in omnibus omnino libris ita scripti sint, ut ne nunc quidem explicari possint recteque corrupti habeantur: at id quidem facillimum erat, probabilitatis nulla ratione habita, aliquid ibi excogitare, quod ipsis etiam tironibus facile videretur. Istae igitur interpretum cruces, quum a Mavortio sublatae non sint, satis demonstrant, illum non plane licenter egisse. At erat sane necessitas quasi quaedam emendandi ipsi imposita, si quando aliquid aberat, quod ad versus perfectionem necessarium videbatur. Ex eo genere hic versus est carm. II. 20. 13 ‚iam Daedaleo ocior Icaro', de cuius scriptura nondum satis constat: Mavortius, quum hiatum non tolerabilem iudicaret, notior scripsit, quod e

Leidensi ac duobus Vanderburgii E et R adnotatum est. Atque hanc quidem coniecturam nemo plane malam dixerit: infelicius videtur alterum locum tractasse epod. 1. 21 ‚non uti sit auxili latura plus praesentibus'. Uti enim quin verissimum sit, non potest dubitari, sed eam corruptelam, quae multos libros invasit, in quibus haec scribuntur ‚non ut sit' antiquissimam esse, facile adducor ut credam: ii igitur, qui intelligebant claudicare numeros, quum syllaba anquirenda esset, qua labantem versum fulcirent, parum feliciter hanc scripturam excogitarunt ‚non ut adsit auxili latura plus praesentibus.' Id commentum Mavortio placuisse, vel solus cod. E mihi persuadet, quum de Leidensi certi nihil sit dictum: ab ipso inventum esse non contenderim, quum adsit tueatur Porphyrio. Non exigua vero Mavortii commendatio haec mihi videtur esse, quod ab illo multorum librariorum studio, quo obcaecati non pauca corruperunt eo consilio, ut singuli, quantum fieri posset, versus vel singula versuum paria singula enuntiata continerent, neve longior verborum ambitus interpretationem impediret, fere immunem se servavit: erravit, si recte statuo, uno in versu, at erravit ita, ut hodie vel doctissimum quemque adsentientem habeat. Etenim carm. IV. 9. 30 sqq. haec nunc edi solent: ‚non ego te meis chartis inornatum silebo totve tuos patiar labores impune, Lolli, carpere lividas obliviones' repudiata altera scriptura ‚inornatam sileri.' At est huius auctoritas vel summa: nam et in Porphyrionis scholiis et apud Cruquianum commentatorem apertissima passivae formae vestigia cernuntur; adstipulantur libri permulti ac satis antiqui, et ipse optimus ille Vanderburgii cod. B; denique parum caute fecerit, qui ad Cruquium nihil de Blandiniis dicentem provocaverit: nam is et ipse sileri edidit et idem a suo commentatore explicari vidit, in interpretando autem carmine magno saltu a v. 26 transit ad v. 39, ita ut aut ipse festinantius egisse aut insignem

operarum negligentiam patientius, quam par erat, tulisse videatur. Sunt haec, opinor, talia, ut probabiliter coniicias, ad multorum testium eorumque satis gravium auctoritatem etiam Blandinios libros accedere. Valebit igitur de hoc loco idem, quod supra posuimus, quaedam, quamvis dura videantur, mollienda esse patientia: quae tamen patientia Mavortio nimia est visa. Eius enim libri Leid. Reg. E R tanto consensu *silebo* exhibent, ut valde credibile sit, illum fuisse, qui viris ipso longe acutioribus imposuerit. At idem longe aberat ab recentiorum librariorum saepissime vulgarem syntaxin poeticae praeferentium temeritate: velut carm. I. 4. 12, ubi in multis libris haec sunt ‚seu poscat agnam sive malit haedos (al. haedum)', Mavortiani Leid. Reg. E R recte sextum casum servarunt. Sequitur ut indagetur, quid in scripturae diversitate iudicanda secutus sit, quam diversitatem ipsi Prisciano dubitationem movisse diximus: illud enim iudicium fortasse ne ab iis quidem vitari potuit, qui uno in libro versabantur, quum multae nunc διττογραφίαι in Horatii codicibus sint neque plane paucas vel in antiquissimis fuisse consentaneum sit. At nunc ne hoc quidem divinare licet, quam aut multis aut paucis de locis illi quaerendum fuerit: unus tamen est, ex quo aliquo fortasse iure colligas, interdum ipsam sive discrepantiam sive διττογραφίαν intactam ab eo relictam esse, ut qui sentiret, neutram scripturam neutri ita praestare, ut una verissima videretur. In hoc enim versu carm. IV. 15. 18 ‚civilis aut vis exiget otium' Leidensis *exiget* habet, Reginensis *eximet*, ita tamen, ut in illius libri margine *eximet* adscriptum sit, in huius *exiget*. Leve id videretur, nisi Vanderburgii cod. E accederet, in quo totum illud vocabulum omissum est, hac, nisi fallor, de causa, quoniam librarius in eo codice, quem sequebatur, duplicem scripturam invenerat ac dubitabat, utram in ordinem reciperet. Is autem liber quum sec. X scriptus sit, verisimile est, librarium

codicem expressisse aliquot seculis antiquiorem neque ita longe ab ea aetate, qua Mavortium vixisse scimus, remotum.

Inchoata haec sunt, fateor, atque rudia: dubito tamen num multo limatiora adhuc proferre liceat. Doctius et ad persuadendum aptius de tota hac causa disputari tum demum poterit, quum Vanderburgii codices B et E ab idoneo homine cum pulvisculo excussi erunt: ex his enim, nisi magnopere fallor, et quid olim traditum acceperit Mavortius et quid ipse novaverit, multis locis intelligetur. Hac igitur cura nihil arbitror antiquius habendum esse iis, qui Horatium edituri sunt, quum sit ipsorum aequali omnia assiduitate pertractare: nos, qui a definitione profecti huc devenimus, nostro satisfecimus consilio, si probabiliter a nobis demonstratum est, Mavortianum Horatium veri et germani Horatii non admodum dissimilem fuisse, ac nimis anxios videri eos, qui unum illum hominem totum volumen ita contaminavisse opinantur, ut vel optimos criticos, si hunc poetam attingant, lapsuros ac turpe istud solum mento tacturos esse iudicent. Ad ipsam igitur aliquot locorum emendationem me convertam, in cuius curriculi ingressu quum praevideam, non raro disputandum mihi fore contra I. C. Orellium, optimum virum, cuius ipse olim benignitatem expertus sum, amicos illius, quos plurimos habuit, rogatos velim, ut eandem mihi veniam tribuant, quam ab ipso Orellio haud difficulter impetrassem.

III

Saepe accidit in vetustis libris, ut marginibus ipsorum sive situ atque humore arrosis sive detritis eorum culpa, qui librum parum caute evolvebant, ea, quae ultima erant in singulis versibus, aut plane obliterarentur, aut ita evanida fierent, ut pro integris vocabulis paucae literae superessent. Eiusmodi locos saepe a librariis, qui in tali codice describendo

versabantur, ita expressos esse constat, ut aut neque adderent quicquam neque demerent, aut talia omnino omittere mallent quam mutare: alii, quum librum habere vellent, qui et legi posset et intelligi, literis, quas superesse videbant, ad explendam lacunam pro suo quisque ingenio vel scite utebantur vel abutebantur imperite. Caute fecit, ut de solis Horatianis libris dicam, qui sub noni seculi initium Orellii codicem Bernensem antiquissimum scripsit, quod sat. I. 2. 39 in fine versus ‚dolore voluptas' simpliciter omisit, quum appareat, illum legere non potuisse, quae in archetypo invenerat (Kirchner. Nov. q. Hor. p. 9). Imperitae vero interpolationis vestigia ne in bonis quidem libris plane desunt: nam ut nihil dicam de celebrato illo ‚rabiosi tempora signi', de quo antea exposui, nescio an nihilo clementius iudicari debeat de hac lectione, quam e Dessaviensi libro sec. X satis accurate scripto Kirchnerus (l. l. p. 13) nuper excerpsit, carm. I. 12. 21 ‚proeliis audax neque te transibo.' Alia in eodem libro multo elegantius expleta sunt, velut sat. I. 1. 121 ‚verbum non amplius ullum' et 2. 24 ‚in contraria tendunt.' Ex eodem hoc genere illud est, quod ipsi etiam Bentleio fraudem fecit: nam quum in summo optimorum, quos quidem novimus, librorum consensu dubitari neque possit neque debeat, quin hic versus sat. II. 8. 29 rectissime ita scriptus edatur ‚ut vel continuo patuit quum passeris atque', maluit ille tamen quibusdam Lambini codicibus obtemperare, qui extrema vocabula sic exhibebant ‚passeris assi et.' Falsa ea coniectura est, at ingeniose excogitata: neque tamen quemquam de eiusmodi mutatione cogitaturum fuisse arbitror, nisi suo in libro lacunam invenisset utcunque explendam. Unum exemplum addo, quo demonstratur iam Bernensis codicis scriptorem interpolato libro usum esse: ipsum enim cautiorem fuisse vidimus. Is igitur a. p. 277, ubi recte nunc legitur ‚quae canerent agerentque peruncti faecibus ora' haec

posuit ‚peruncti faecibus atris': quam lectionem quod ‚mero ex errore ortam' dicit Orellius, id minus mihi probari fateor, quum correctorem potius sapere videatur. Qui tamen num atris scripserit, quod epitheton faecibus parum convenit, magnopere dubito: scripsit fortasse ‚peruncti faecibus artus', quum putaret tota histrionum corpora oblita fuisse. Ac similem, sed multo graviorem dubitationem hi versus movent epist I. 19. 15 sq.:

rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
dum studet urbanus tenditque disertus haberi.

Quamquam enim recentiores critici omnes prioris versus clausulam hanc ‚aemula lingua' rectissime se habere iudicant, neque ullam scripturae diversitatem suis e libris adnotarunt ii, qui antiquissimis usi sunt, Bentleius atque Orellius: magnam tamen auctoritatem altera haec lectio habet ‚aemula coena.' Etenim inventa est a Cruquio in Blandiniis duobus (num in antiquissimo non liquet) atque confirmatur veterum commentatorum consensu, qui omnes Iarbitam ideo periisse tradunt, quod Timagenem imitatus sit ‚post convivium et inter pocula declamantem.' Qui copiosius quam ceteri ea de re disseruit, Porphyrio, posteaquam breviter singularem illam Timagenis consuetudinem descripsit, ita pergit: ‚Timagenes enim multos conabatur adhibere et coenae et declamationi suae, dumque ab his multum laudatur, in admirationem sui provocasse Hyarbitan dicitur, qui se et stomachum abrupit, dum Timagenem et dicendo et pascendo amicos studet aequare' (Basil. 1555). Sunt haec sane talia, ut dubites, an temere excogitata sint a grammatico aliquo, qui, quod constat interdum factum esse, ingenua quadam audacia ex ipsis Horatii verbis id ipsum elicere studuerit, quo ad interpretandum locum opus videretur. At is tamen, quocunque iure tam confidenter locutus est, rectissime intellexit, quid potissimum explicandum esset: significavit enim, quibus artibus

idem homo et urbanitatis et facundiae laudem merere voluerit, urbanitatem de ipsius coenae, qua ille homines excepisset, elegantia interpretatus. Qua quidem in re aliquanto minus cauti fuerunt recentiores, quorum commentarios inspicere mihi licuit: nam quum totum locum de ‚aemula lingua' explicandum statuant, alteri urbanitatem Iarbitae ad sales et dicacitatem referunt, alteri ad sermonis elegantiam artemque declamandi et quandam peregrinitatis in dicendo fugam. Neutra sententia probabilis est: nemo enim rumpitur, quod salibus ac facetiis saepe utitur in oratione, neque quisquam disertus vocabitur, nisi in quo eleganter dicendi studium appareat: Horatius autem quum haec scripsit ‚dum studet urbanus tenditque disertus haberi', non ideo, opinor, bipartitum fecit enuntiatum, neque duo verba posuit, ut eandem rem duobus vocabulis describeret, sed ut, quae natura diversa essent, etiam oratione distinguerentur. A vera denique urbanitate ut aliena sunt, quaecunque nimia sunt, ita nihil ab ea alienius videtur, quam immoderati et plane insani clamores. Melior explicandi ratio quum nulla adhuc, quod sciam, reperta sit, non habemus cur hanc scripturam ‚aemula coena', quae nostris certe libris antiquior videtur esse, continuo ab interpolatore illatam dicamus, qui ‚potius quam declamando, Iarbitam ingluvie dirumpi potuisse 'opinatus sit: de sola enim ingluvie nemo facile unquam cogitaverit, quum haec subsequantur ‚tenditque disertus haberi.' Itaque nihil est, cur non potuerit coenae mentio ab ipso Horatio facta esse, etiamsi quis, repudiata Porphyrionis narratione, ea verba a nobis explicari posse neget: ac vel probabilius coniicietur, faciliora haec ‚aemula lingua' interpolata esse ab homine de versu proxime inferiore accurate interpretando parum sollicito. Qui sive difficiliora illa non intelligebat, sive ultimum vocabulum, quod coena erat, suo in libro ita obscuratum invenit, ut coniectura opus videretur: illud certe hoc etiam

exemplo confirmatur, clausulas versuum non raro suspicionem movere accuratius legentibus.

Haec quum ita sese habeant, si adhuc in eiusmodi clausulis interpolationes quasdam latere dixero, id per se ipsum non poterit incredibile videri. Dispiciamus de singulis. In praeclaro carmine de itinere Brundusino sat. I. 5, ubi describitur Sarmenti et Messii Cicirri pugna, qui, ut Acron ait, ‚ioci causa se invicem verbis fatigabant', haec nunc leguntur v. 57 sqq.:

ridemus, et ipse
Messius: ‚accipio', caput et movet: ‚o tua cornu
ni foret exsecto frons' inquit, ‚quid faceres, quum
sic mutilus minitaris?' at illi foeda cicatrix
setosam laevi frontem turpaverat oris.

In his tria sunt, quae magnopere me offendunt. Primum ponam id, quod etiam Porphyrioni mirum est visum. Is enim quae scripsit ad v. 61 ‚attende elocutionem: laevi oris frontem pro laevam partem ponit in fronte': ea quid sunt, nisi ingenua confessio, haec a communi loquendi consuetudine recedere? Atque qui meminerit, in pugnarum descriptione, etiam iocularium, festinationem decere poetam, neque quicquam magis cavendum esse, quam ne ponatur aliquid, quod languidum sit et in longum ducat orationem: is negabit mecum, Horatium tam longa formula usurum fuisse, quum posset aliquanto brevius dicere. Alterum hoc est. Constat, opinor, iocos eos tantum probari et dignos videri, qui vel aequalibus vel posteris tradantur, qui ei rei, de qua quis iocatur, ita accommodati sint, ut nihil neque desideretur neque exuberet: non pungunt enim, quum claudicant, et facile retorqueri possunt in adversarium. At ille quidem Sarmenti iocus, qualis nunc est, vel maxime claudicat. Natura enim quum bina animalibus cornua dare soleat, si alterum in laeva Messii fronte exsectum erat, debebat aliquid etiam de dextro dici,

quod aut ipsum quoque exsectum esse, aut tunc etiam in hominis capite conspici oportebat. Denique qui haec ‚setosam laevi' ita coniuncta legerit, idque apud Horatium, is facere vix poterit, quin suo cuidam sensui, qui maximi in eiusmodi rebus aestimandus est, obsecutus, laevi non ab eo, quod est laevus, repetat, sed setosam et levi invicem opposita esse existimet, quae oppositio quam recte procedat, ne longius excurram, vel ex his satis perspicitur, quae Porphyrio ad epod. 16. 34 adscripsit: ‚ametque salsa levis hircus aequora] duplex diversitas, ut amet aequora hircus, id est ut in mari moretur, et ut levis fiat, cum alioquin setosus sit.' Itaque non temere nobis statuere videmur, si in ultimo versu corruptelam inesse iudicamus. Ea qua ratione sananda sit, praeter ea, quae modo disputavimus, illa ‚frons cornu exsecto' ostendit: nam nemo, nisi fallor, qui, nulla sequentium ratione habita, ipsa illa verba interpretari iubebitur, de bicorni vel homine vel belua cogitabit, omnes monocerotem intelligent, qui cornu media in fronte gerat. Cornua autem quum eam formam habeant, ut ima eorum pars aut rotunda sit, aut proxime absit ab rotunditate: talis fere illa Messii cicatrix debet fuisse, ut in media fronte inter ipsos crines macula rotunda appareret crinibus nuda; crines enim non proveniunt in cicatricibus. Ita igitur, opinor, in antiquissimo aliquo codice scriptum erat:

setosam laevi frontem turpaverat OR..;

inde corrector, quum laevi non recte intelligeret, id effecit, quod est in codicibus: debebat autem lacuna sic expleri:

setosam levi frontem turpaverat ORBE.

Qua facta mutatione, dubitationes ad unam omnes evanescunt, Sarmentique dicterium quam plane egregium fuerit, intelligitur.

Similiter peccatum esse coniicio sat. II. 3. 115 sqq., ubi haec exhibent codices:

si positis intus Chii veterisque Falerni
mille cadis — nihil est, tercentum milibus, acre
potet acetum; age, si et stramentis incubet unde-
octoginta annos natus, cui stragula vestis
blattarum ac tinearum epulae putrescat in arca:
nimirum insanus paucis videatur —.

Sumit sibi hoc interdum Horatius, ut compositis vocabulis ita utatur, quasi non sint composita, prioreque earum parte antecedentem versum claudat, alteram in sequentis capite ponat. Itaque in ipsa illa divisione longioris vocabuli undeoctoginta nihil est, quod magnopere offendere possit, imo non pauci fortasse praeclare hic ea poetam usum esse iudicabunt, ut senilis aetatis tarditatem recitandi quaedam tarditas, ex ipsa divisione orta, quodammodo aequaret: atque videtur sane Horatius simili plane consilio idem artificium usurpasse epist. II. 2. 93 ‚quanto molimine circumspectemus vacuam Romanis vatibus aedem'. At nescio tamen, an ea ars, si ad illam avari senis descriptionem transferatur, recte iudicanti nimia videri debeat, quum neque intelligam, cur hoc quidem loco senilem tarditatem tam operose describendam censuerit, quum de tarditate nihil omnino dicatur, et ipsa haec ‚octoginta annos natus' per se satis ponderosa sint lentoque gradu procedant. Quaesita certe ista elegantia si in altera lance ponitur, in altera illud, quod nimis accurata et paene anxia aetatis definitio ab hoc loco plane aliena est: vereor ne sursum feratur prior illa. Possit aliquis coniicere, certum aliquem hominem tecte significari, qui tunc ipsum undeoctoginta annos natus fuerit: at ea coniectura vana est certisque fundamentis destituta, quum apud veteres interpretes nihil tale inveniatur. Atque etiamsi verissima esset, tamen, nisi fallor, rotundus, quem vocant, numerus ponendus erat in carmine ea spe scripto, fore ut et illum in annum et in plures viveret: quo accedit, quod

prudentius erat, octogenarium facere avarum senem, etsi uno vel duobus annis minor esset, quam de senio eius vel tantillum detrahere videri. Aliud argumentum antecedentium comparatio subministrat. Non dixit Horatius simpliciter foliis vesci avarum hominem, sed foliis amaris; sunt enim folia non pauca, quae studiose expetuntur a gulonibus: neque satis habuit, vinum mutatum ac vile, quod avarus bibebat, acetum appellavisse, sed scripsit acre acetum; novimus enim quaedam aceti genera, bacarum et pomorum sucis temperata, quae in magnis caloribus aqua diluta satis iucunde potantur, neque credibile est, ea plane ignota fuisse veteribus. Ipsa igitur sententiarum aequalitas suadere videtur, ut dispiciamus, an non stramenta quoque, quibus ille utebatur, paullo accuratius descripta fuerint: ac tale quoddam additamentum plane necessarium erat, ut vitaretur magna sermonis ambiguitas. Chremes enim iste, si ita loquentem audivisset Horatium, in promtu habuisset, quod responderet. Ipsam, opinor, avaritiam graviter aversatus, et valetudini se et frugalitati Romano homini convenientissimae prospicere dixisset: senum vires nulla re magis debilitari, quam nimia victus cultusque mollitie, atque ipsis antiquis torum e stramento fuisse et simile quiddam usitatum esse in castris, scilicet quo robustiores fierent milites (v. Plin. n. h. VIII. 48). Poterat deinde, si paullo doctior erat, Agesilai mentionem haud inficete iniicere, quem, quum ipse quoque octogenarius esset, in Aegypti litore simili olim strato usum esse ‚ut terra tecta esset stramentis neque huc amplius quam pellis esset iniecta' Cornelius Nepos narrat in vita Ages. c. 8. Sentis, nisi fallor, fortius loquendum fuisse Horatio, siquidem eam volebat avaritiam describere, quae prope abesset ab insania: idque, quantum equidem video, facillime ita effici poterat, ut adderetur aliquid, quod ne ipsa quidem illa stramenta bona fuisse significaret. Abiecto igitur illo unde, quod e duabus literis

correctorem finxisse existimo, Horatium, quo gravius notaret foedam hominis vitam, ita coniicio scripsisse:

age, si et stramentis incubet udis
octoginta annos natus, cui stragula vestis
blattarum ac tinearum epulae putrescat in arca:
nimirum insanus paucis videatur.

In stramentis non minus quam in foeno sedulo cavendum esse, ne humorem contrahant, quum nulla re facilius corrumpantur, notum est, ideoque stramenta, 'mense Augusto intra dies triginta sublatae messis praecisa, in acervum exstrui debere' praecipit Columella de re rust. VI. 3.

Venio ad locum, qui quamvis, multi in eo vel explicando vel emendando laborarint a prudentissimis tamen etiam nunc pro desperato haberi solet, carm. III. 4. 9 sqq.:

me fabulosae Volture in Apulo
altricis extra limen Apuliae
ludo fatigatumque somno
fronde nova puerum palumbes
texere.

Ac mihi quidem de toto hoc loco Bentleius, etiamsi non probem ipsam eius coniecturam, tam praeclare videtur disseruisse, ut pauca ad eius disputationem addi posse existimarem, nisi nonnulla ex ea improbata essent a quibusdam inter recentiores interpretes. Ordior ab eo argumento, quod mireris a Bentleio omitti potuisse: Apulus enim et Apulia quum constet nunquam efferri ab Horatio nisi prima syllaba producta, parum sane credibile est, eum uno hoc loco a recepta semel consuetudine recessurum fuisse. Cuius argumenti gravitatem qui extenuare studuerunt, in multis nominibus propriis syllabarum quantitatem parum certam ac definitam esse dictitarunt, eiusque licentiae aliquot exempla congesserunt. At ista quidem demonstrandi ratione nihil efficitur, nisi ut agnoscamus, tale quid fortasse fieri potuisse etiam in alio

nomine, atque est illa natura sua admodum precaria, quum suas singuli et populi et poetae aures de talibus consulere soleant, quarum de iudiciis post tot secula difficillimum profecto est iudicare. Exstitit quidem unus, haud inelegantis ingenii vir, qui licentiae illius ne in hoc quidem nomine exempla deesse pro certo affirmavit: at equidem nullum inveni, ac magis me Lachmanni auctoritate moveri fateor, qui in commentario Lucretiano p. 37 haec scripsit: ‚de Apulia et Apulis numquam dubitatum est, quin prima syllaba producenda esset, itaque Lucilius apud Festum p. 313, 11 in hexametro Apuliden pedibus stlembum. quare indocte provocant ad ambiguitatem propriorum, qui in Horatii carminum III. 4 tuentur versum foedissime interpolatum hunc Altricis extra limen Apuliae.' Quid quod ne centum quidem exempla ad illum versum tuendum satis erunt: nam etiamsi demonstretur, duplicem eiusmodi mensuram per se ipsam tolerari posse, in his tamen Horatii versibus ita inepta videbitur et arti contraria, ut eodem paene iure versiculos illos, quos pueri ediscunt, ‚est acer in silvis, equus acer Olympia vincit' et qui huius similes sunt, pro Horatianis venditare possis. Neque minus firmum ac stabile illud est argumentum, quod copiose exposuit Bentleius, non decuisse Horatium in locis describendis tam anxie accuratum esse, ut non de Volture solum diceret, sed de una aliqua Volturis parte trans ipsum Apuliae finem sita, idque in lyrico carmine: quid enim refert, qua quis in provincia in periculum capitale inciderit? Itaque quod non miror in Mannerto, cuius sane erat geographiae dignitatem tueri, id in aliis magnopere miror, eos, ut impugnent Bentleium, in locorum situ explorando versari malle, quam quid lyricae poesi conveniat quaerere, quasi nihil intersit inter Strabonem atque Horatium. Alii, qui salutem versus in coniectura positam esse recte intellexerunt, ipsi quoque similiter errant:

nam ut nihil dicam de iis, qui parum probabiliter in primo versu, ab omni suspicione libero, aliquid tentarunt, ceteri coniecturis suis: ‚intra limen Apuliae, extra limina patriae, intra limina Dauniae' nihil effecerunt, quod non ipsa illa Bentleii disputatione refellatur. Non erit igitur amplius de terra Horatii altrice cogitandum, sed de muliere, quamquam ipsum mulieris nomen poni potuisse recte negavit Bentleius. Ac videtur sane Horatius primam pueritiam sub altrice degisse. Patrem enim suum quum saepius commemoret cum summa pietatis professione, mirum est, quod neque matris neque fratrum vel sororum ulla unquam fit mentio. Inde quid colligas, nisi matrem paullo post partum mortuam esse? idque si ita fuit, credibile est, patrem, quem scimus exactionum coactorem fuisse, quum in magna negotiorum turba non posset filio eam curam impendere, quae necessaria est in prima aetate, facere non potuisse, quin illum mulieri alicui prope oppidum habitanti alendum committeret. Quam si elegit ex pluribus, parum eum in eligendo felicem fuisse apparet. Nam quod scimus pusionem extra altricis domum aliquamdiu solum in monte lusisse, donec somno opprimeretur, ac postea vicinis omnibus mirum id visum esse, quod in regione viperarum atque ursorum plena ne laesus quidem fuisset: ea omnia demonstrant, insignem fuisse mulieris negligentiam ac socordiam, neque facile quicquam infelicius excogitari potuisse, quam Bentleianum illud ‚altricis extra limina sedulae'. Quae quum ita sint, non possum mihi persuadere, Horatium, illum ‚irasci facilem', ipsam hanc negligentiam non culpaturum fuisse, quo magis eluceret deorum clementia, qui infantem, nefarie ab hominibus desertum, in mediis periculis suo auxilio tutum praestitissent, praesertim quum alibi non leniter dixerit de iis, ad quos in periculis ab ipso feliciter superatis aliquam culpae partem pertinere iudicaret. In eum certe, qui arborem illam devotam in Sabino

agello plantaverat, ita invehitur, ut paene sui ipsius oblitus fuisse videatur, quum haec scriberet (carm. II. 13. 5 sqq.):

illum et parentis crediderim sui
fregisse cervicem et penetralia
sparsisse nocturno cruore
hospitis; ille venena Colcha
et quidquid usquam concipitur nefas
tractavit, agro qui statuit meo
te triste lignum, te caducum
in domini caput immerentis.

Ita qui locutus est in culpa minime certa, is non potuit apertam mulieris, sua commoda secutae, culpam non gravi aliquo vocabulo notare, eoque, si recte opinione auguror, tali, ut intelligeretur, quam non honesto pretio mulier nequam infantis sibi commissi salutem vendidisset. Haec praefatus meam coniecturam possum paucissimis explicare. Erant illi versus ita olim uno in libro scripti:

me fabulosae Volture in Apulo
altricis extra limen APVL . . . . .

Lacunam corrector perperam explevit, quum ex illo Apulo supra posito Apuliae assumeret; debebat ita scribere:

altricis extra limen ADVLTERAE

quo ipso vocabulo (adulteri, adultero, adulteros, adulteris) multi apud Horatium versus clauduntur.

Ultimum quod pono in hoc capite, id num a correctore interpolatum, an vulgari librariorum errore depravatum sit, nolim pro certo dicere, quamquam mihi quidem illud probabilius videtur, quoniam satis speciosus est error.

In primi libri epistola duodevigesima postquam graviter monuit, virtutem contrariorum vitiorum mediam esse, recteque ob id ipsum vituperari eos, qui nimis suorum morum tenaces, alienis nulla in re se accommodare vellent, ita pergit Horatius (v. 41 sqq.):

gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi dissiluit, donec suspecta severo
conticuit lyra. fraternis cessisse putatur
moribus Amphion: tu cede potentis amici
lenibus imperiis.

Quod supra dictum est de iocis, nihil iis effici, si ulla a parte claudicent, id totum transferri debet ad compellationes atque adhortationes, qualis haec Horatii est: nam si quicquam probabiliter responderi potest, periit opera. Sed ad Horatiana illa, qualia nunc sunt, respondere facillimum est. Quid enim, si ille, qui amico cedere iubetur, ita fere loquatur: ‚Zethum atque Amphionem commemoras; quid illi ad me? Caium vide, Seium, Titium, alios multos, honestissimos cives, quos imitari non sit turpe: omnes et cum fratribus strenue discordant, et cum potentibus si quando versantur, utuntur libertate sua. Et recte dixisti, Amphionem ita fecisse putari; putamus enim, opinor, ea, quorum certam persuasionem nullam habemus; sunt ista poetarum commenta, nam parum credibile est, quemquam unquam tam non sui arbitrii fuisse, ut in gravissimis rebus aliis quam sibi obtemperare maluerit?' Hoc responso dato, tacendum, nisi fallor, Horatio fuisset, praesertim quum sciret, se ipsum etiam interdum ‚monitoribus asperum' esse. Id periculum si volebat vitare, et debebat sane id velle, non de uno aliquo exemplo dicendum erat, sed de communi aut omnium hominum, aut certe civium consensu. Quare quum incredibile sit, acutissimum virum in re minime obscura caecutivisse, suspectum illum versum leniter mutandum censeo, ita ut scribatur:

— fraternis cessisse probatur
moribus Amphion: tu cede potentis amici
lenibus imperiis.

Quo facto omnia illi effugia praeclusa esse intelliges. Spectat

totus locus ad Pacuvii Antiopam, in qua Zethi atque Amphionis ‚controversia quum de musica inducta esset, disputatio in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consummabatur' (ad Herennium II. 27. 43). Probari autem quid sit hoc loco, ut recte intelligamus, non est intra nostros mores consistendum: nos enim, quum plaudimus in theatris, artem probamus vel poetarum vel histrionum, quamquam audimus, nuper etiam certas quasdam de patriae amore civiumque officiis sententias simili modo probari coeptas esse; veteres autem plausisse, si quid honestius in scena vel factum videretur vel dictum, quum alii loci nonnulli demonstrant, tum hic Senecae (ep. 108): ‚non vides, quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quae publice agnoscimus et consensu vera esse testamur? „desunt inopiae multa, avaritiae omnia" „in nullum avarus bonus est, in se pessimus" ad hos versus ille sordidissimus plaudit et vitiis suis fieri convicium gaudet.' Eoque in studio Italos, qui nunc sunt, non degenerasse a maioribus, et ipse coram vidi, et testes sunt haud pauci.

IV

Transeo ad eas corruptelas in versuum clausulis latentes, quae solis librariis suo more errantibus videntur tribuendae esse. Carminis II. 8 initio Barinen ita adloquitur Horatius:

ulla si iuris tibi peierati
poena, Barine, nocuisset unquam,
dente si nigro fieres vel uno
turpior ungue:
crederem.

In his, si singula posita essent, quae coniuncta sunt versibus tertio et quarto, nihil foret, quod nos moraretur: posse

enim pulchritudinem muliebrem **nigro dente** turpari, sive id de uno dente interpretaris, sive poetarum more dentem pro dentibus dictum esse existimas, quem morem et Horatius secutus est compluribus locis et Tibullus, qui de pectine haec posuit I. 9. 68 ‚aut tenues denso pectere dente comas', id non magis quisquam negaverit, quam posse pulchram puellam etiam ‚uno ungue' turpiorem fieri, si is vel scaber fiat, vel maculosus, vel alio vitio quocunque inficiatur. At eadem haec, quum coniunguntur, habent aliquid ingrati. Dentis enim vitium ut commemoratur ipsum, ita, ne turbaretur orationis aequalitas, etiam de ungue aliquid dicendum fuisse sentimus, quod praecedenti vocabulo **nigro** responderet. Totum autem locum quod ita explicant recentiores interpretes, ut **uno** etiam ad **nigro dente** referendum esse dicant, id ut per se ipsum rectum sit, tamen non efficit, ut aequalius fluat oratio: habebis enim ‚uno dente nigro turpior' et ‚uno ungue turpior', quae parum accurate opposita esse apparet. Neque credibile videtur, Horatium transposito illo vocabulo inanem aequalitatis speciem captaturum fuisse, quum facillimum esset ipsam aequalitatem servare. Hac de causa mutatione mihi videtur opus esse, eaque et leni et satis efficaci:

> dente si nigro fieres vel **unco**
> turpior ungue.

Quamvis enim recte monuerint interpretes, scabritiem unguium inprimis displicuisse veteribus, consentaneum tamen est, uncum etiam unguem a puella elegantiarum studiosissima pro calamitate non minus horrenda habitum esse.

In primi satirarum libri ecloga III multis exemplis demonstrat Horatius, plerosque in existimandis hominibus nimis acres atque iniquos esse, et ne mediocria quidem eorum vitia patienter ferre velle. Ibi de se ipse haec profitetur (v. 63 sqq.):

> simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
> obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
> aut tacitum inpellat quovis sermone molestus:
> communi sensu plane caret, inquimus.

Libens et libenter quid sit, ex nullo uno locò videtur plenius cognosci posse, quam ex his, quae ad Atticum scripsit Cicero epp. II. 4. 3: ‚interea quidem cum Musis nos delectabimus animo aequo, imo vero etiam gaudenti ac libenti'; eodemque plane modo eo vocabulo utitur Horatius, ut homines ea libenter facere dicat, quae faciant cum gaudio atque delectatione. Scio id a quibusdam negari, et commemorari quaedam exempla, quae aliter explicari debeant: neque tamen est, cur de singulis disseram, quum omnia eiusmodi sint, ut nemo, nisi qui praeiudicatam aliquam opinionem in interpretando sequatur, de explicatione dubitare posse videatur; idque vel maxime dictum velim de eo versu, cui plurimum tribuit Orellius, sat. I. 1. 63. Iam nisi fallor perquam mirum videbitur, Horatium saepe gavisum esse eo, quod molestus esset Maecenati. Neque tamen desperant interpretes, imo incredibilia comminisci malunt, quam de librariorum negligentia cogitare. Ita unus eorum haec scripsit: ‚qualem me i. e. qualem me tibi saepe obtuli et libenter obtuli, ut ne nunc quidem poeniteat. libenter est sponte, consulto, ut sat. I. 1. 63. simplicem igitur et rectum neque nimiis falsae cuiusdam urbanitatis legibus obsequentem se esse apud Maecenatem dicit poeta, quo clarius sua familiaritas ab omni assentatione et adulatione libera eluceat. simplex enim est, qui non anxie circumspicit, quid dicat, quid faciat, qui sincere ac libere sensus suos aperit.' Quasi vero ea nimia sit urbanitas, legentem aut cogitantem non interpellare otioso aliquo sermone: atque ea simplicitas, quae in ipsa importunitate cernitur, nisi plane fallor, et Horatio, qui de eadem re longe aliter dixit non paucis locis, et Maecenati, quem scimus pro-

pter unguem prave sectum amici, tunc iam satis cogniti ac probati, stomachari solitum esse (epist. I. 1. 104), mera rusticitas esset visa. Aliquanto prudentius aut certe cautius scripta haec Orellii adnotatio est: ‚explica: quemadmodum haud quaquam poenituerit me tibi fortasse obtulisse: nam eo ipso, etiamsi fieri potest, ut tibi molestus fuerim, pervidere poteras simplicem atque ingenuum meum animum.' At ne ea quidem recte se habet: ut enim facile mihi persuadeo, Horatium talium errorum olim ab ipso commissorum non magnopere poenituisse, ita non credo, eum etiam gavisum ac delectatum iis esse, quae propria vocabuli vis est. Si igitur tueri quis volet id, quod in libris traditum est, aliam debebit vocabuli explicationem anquirere; atque est sane una, quae circumspicienti facile in mentem venire possit. Etenim quum persaepe libuisse alicui dicatur id, quod neque certa ulla de causa fecit, neque cur fecerit, aliis aperire vult: facile inde videtur colligi posse, eandem vim etiam in adverbio inesse, ita ut Horatius dixerit: se non dubitasse Maecenatem interpellare, quotiescunque sibi libuisset. At haec quoque speciosiora sunt, quam veriora: nulla enim adhuc inveni certa exempla, quibus fulciri possit ista adverbii interpretatio, atque habet tota formula aliquid superbi et imperiosi, quod in illis versibus plane intolerabile est. Hoc quum certum sit, non dubito, quin coniectura sanandus sit locus, eaque tali, ut Horatium pristinos errores ipsum improbasse plenius intelligamus: id enim et propter universam sententiarum coniunctionem necessarium videtur, et solum satis explicabit, cur omnino Maecenatis facta sit mentio, qui si mediocre vitium, at vitium tamen, patienter ferebat in Horatio, quod a plerisque in aliis acerrime exagitabatur, magnum sane dedit humanitatis documentum. Itaque versum sic scribendum esse censeo:

simplicior quis et est, qualem me saepe licenter
obtulerim tibi, Maecenas.

Licenter enim agit is, qui ea sibi licere opinatur, quae non licent, et ita ipse Horatius locutus est a. p. 265 ‚idcircone vager scribamque licenter': licenter autem et libenter aeque facile permutari poterant a librariis atque libet et licet, quae saepius confusa esse certo scimus. vid. Drakenb. ad Livium XXV. 38. 4.

Sat. II. 3. 57 sqq. de insano homine haec nunc leguntur:

clamet amica
mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
‚hic fossa est ingens, hic rupes maxima; serva!'
non magis audierit, quam Fufius ebrius olim —.

De materno amore, quamquam ipse nunquam eo videtur fotus esse, tam praeclare tamen sensit Horatius, ut credere non possim, illam ‚amicam matrem' ab ipso positam esse: est enim illud epitheton aut valde languidum et plane nullius ponderis, aut tecte significat, alias matres esse, quae filiis amicae non sint. Aliquanto aliter, nisi fallor, haec sonant epist. I. 18. 26 ‚ac, veluti pia mater, plus quam se sapere et virtutibus esse priorem volt', in quibus epitheti plane diversam rationem esse apparet. Cum quibus quae possint certare videri leviter inspicientibus, velut haec epist. I. 1. 21 ‚ut piger annus pupillis, quos dura premit custodia matrum' et carm. III. 6. 38 ‚proles Sabellis docta ligonibus versare glebas et severae matris ad imperium recisas portare fustes', et si qua horum similia sunt: ea, accuratius ponderata, vel maxime demonstrabunt, amorem erga filios matrum ita proprium et naturalem esse, ut in custodiendis illis et educandis ne nimiae quidem severitatis speciem sibi vitandam putent. Neque est cur copiosius ea de re dicamus, quum permulti iam viderint, eam verborum coniunctionem non posse veram esse ac nihil profici ab iis, qui, ut illam tueantur, perverse ad antiquissimi

sermonis eiusque Graeci simplicitatem provocant. Atque hi quidem amicam a matre seiungendam arbitrantur, quae sane distinctio et optimos inter recentiores patronos est nacta, et iam antiquis temporibus suos fautores habuit. Commemoratur enim a Porphyrione; retenta est a Meinekio et Hauptio. Dubito num recte. Nam illud argumentum, quo ad eam refellendam Porphyrio utitur, quum dicit, melius esse amicam matrem accipi, ‚quia mentionem uxoris faciat in sequentibus': id mihi videtur admodum probabiliter inventum esse, quoniam amica primo loco ante ipsam etiam matrem nominata turpissimam profecto notam homini inurit, de cuius improbitate plane nihil dictum est. Quod si quis contendere velit, Horatium eo consilio primum locum meretrici tribuisse, uxori ultimum, quo magis illius perversitas agnosceretur, is, opinor, acumine abuti iudicabitur. Itaque aut nova explicatio indaganda erit aut emendatio tentanda: emendandi autem negotium ut hoc quidem loco non difficile sit, Prudentii sedulitas effecit, qui, ut omnino libenter utitur Horatianis, ita hunc etiam versum illibatum praetermittere noluit. Is igitur in Fructuosi passione, ubi ipse quoque homines inter se diversissimos enumerat, quos adhortatur, ut eodem omnes studio unam rem agant, haec posuit (perist. VI. 148 sqq.):

circumstet chorus ex utroque sexu,
heros, virgo, puer, senex, anicla:
vestrum psallite rite Fructuosum.

Ex his, si id, quod Christianus poeta ab ipso Horatio videtur mutuatus esse, sua in sede reposueris, ita ut scribatur:

clamet anicla
mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:

rectissime procedunt omnia, quum vetulae matri propter ipsam canitiem magis etiam obsequi oporteat, quam florenti, atque sorori quoque additum sit epitheton ab aetate sumptum. Apparet enim eam honestam dici, non ut opponatur

sorori parum castae, sed ut matronam eam fuisse intelligamus, idque Horatius eadem de causa addendum sibi existimavit, propter quam neque filiorum neque puellarum ullam mentionem fecit: nam qui nos dehortantur, ne perficiamus id, quod nobis proposuimus, non audiuntur fere, nisi gravitate spectabiles sunt rerumque aliquem usum habent. Ipsa autem diminutiva forma aptissima videtur, quum Horatius et materculam dicat epist. I. 7. 7 et matrem pauperculam epist. I. 17. 46; contractis denique vocabulorum formis non raro utitur in satiris, atque anicula aliter non poterat in hexametro poni. Hic subsistere liceret, nisi N. Heinsius in Prudentiano versu anulla ponere maluisset, quod scriptum extat in quibusdam libris. Reliqui vero codices quum anila aniula anula exhibeant, vix dubitaverim, quin omnes istae lectionis discrepantiae librariis imputandae sint, qui facillime errare poterant in vocabulo rarissimo. Ipsa enim forma anulla pugnat cum iis, quae Priscianus de diminutivorum formatione praecipit (III. c. 6 p. 128 Kr.): ‚secundum supradictam formam quartae quoque declinationis nomina faciunt diminutivum. us enim vel u nominativi in i convertunt correptum et accipiunt culus in masculino, in feminino cula, in neutro culum, ut currus curriculus, dicitur tamen et hoc curriculum, versus versiculus, artus articulus, fluctus flucticulus, anus anicula, cornu corniculum, genu geniculum. excipitur ab acu aculeus, [domus domuncula].' In his quod contractam formam anicla non commemoravit grammaticus, nemo mirabitur: anullam vero, si ita tunc locuti essent, non debebat omittere.

Epist. II. 2. 109 sqq. haec sunt ab optimis etiam editoribus probata:

at qui legitimum cupiet fecisse poema,
cum tabulis animum censoris sumet honesti:
audebit, quaecunque parum splendoris habebunt

et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
verba movere loco, quamvis invita recedant
et versentur adhuc intra penetralia Vestae.

De verbo ferentur, quod solum impeditiorem reddit facilis alioquin loci explicationem, tres potissimum sententiae ab interpretibus sunt latae. Alii enim, quum meminissent, ferri eos libros dici, qui in hominum manibus sint, itaque olim Lucilium locutum esse (ap. Nonium. 4. 186) ‚et sola ex multis nunc nostra poemata ferri', eodem iure ab Horatio singula etiam vocabula ferri dicta esse existimarunt. Alii, ab his dissentientes, maluerunt de eo vocabuli usu cogitare, quum ‚fertur aliquid aliquo modo se habere' de iis rebus ponitur, quae ab hominibus narrari ac sermonibus celebrari solent. Utramque rationem qui improbarunt, eos recte fecisse iudico. Obstat enim utrique illud, quod ne intelligi quidem possunt, nisi statuere velis, non ad editionem carminis, sed ad repetitam editionem totum praeceptum referendum esse, cuius rei nullum vestigium cernitur: accedit, quod vocabula in carmine aliquo minus recte posita aut nunquam aut perraro vulgaribus hominum sermonibus feruntur, quum plerumque a solis prudentibus animadverti et notari soleant. Inde exorti sunt, qui vocabulum illud a flumine translatum esse dicerent, ut sane multa, quae fluminis propria sunt, veteres ad eloquentiam transtulisse scimus, inter quae ipsum illud ferri non raro comparet. Id tamen num huic loco accommodatum sit, habeo cur dubitem. In ipso enim vocabulo nulla, quod falso quidam opinantur, inest nimietatis significatio, imo solet illud laudem aliquam continere, quum nullius facile oratio ferri dicatur, nisi qui ingeniosus sit et natura aptus ad eloquentiam: atque constat, quae fervidius scripta sunt, priusquam deferbuit impetus, magis plerumque ad commovendos hominum animos valere, quam accuratissime perpolita. Potest quidem fieri, ut in eiusmodi oratione, quae

tota ex calore nata sit, nonnulla reperiantur, quae tollere velis, at ferri dicitur oratio non propter vitia sed propter virtutes, cauteque versandum esse in ipsis his maculis eluendis, praeclarus artis magister Quintilianus, ubi de numeris quibusdam disputat minus in oratione iucundis, egregie his verbis praecipit (IX. 4. 112): ‚totus vero hic locus non ideo tractatur a nobis, ut oratio, quae ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat: nam id tum miseri tum in minimis occupati est.' Quodsi in nimis multis peccatum sit, non ferri, nisi quid me fugit, carmen vel orationem dicunt, sed fundi, paullo minus nobili vocabulo: omninoque, quod gravissimum est, quantum equidem memini, ferri de universa tantum oratione ea vi ponitur, nunquam de singulis vocabulis. Ut inveniatur illud, quod scripsit Horatius, plurimum mihi videtur tribuendum esse ipsi formulae loco movere. Eam antiquiores interpretes ad gladiatores retulerunt, qui interdum loco moveri dicuntur: at apparet, nisi fallor, longe rectius iudicare recentiores, qui de senatoribus cogitant senatu motis, quoniam honore indigni viderentur: nobilitantur enim vocabula, quum a poetis in ordinem recipiuntur, ipsisque honorificum est, si quid conferunt ad pulchri carminis perfectionem. Quae quum ita sint, haec videntur a poeta scripta esse:

audebit, quaecunque parum splendoris habebunt
et sine pondere erunt et honore indigna fruentur,
verba movere loco.

Sat. I. 4. 22 sqq. libri haec habent:

cum mea nemo
scripta legat volgo recitare timentis ob hanc rem,
quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, utpote plures
culpari dignos.

In his interpretandis veteres commentatores ita versantur, ut eos aut difficultatem callide celasse, aut suis in libris

penultimum versum aliter scriptum habuisse suspiceris. Quae enim Porphyrio scripsit: ‚cum mea e contrario scripta nemo norit nec velit nosse, primum quod publice non recitentur, deinde quod, conscii sibi peccatorum, non delectentur hoc poemate, quorum vitia carpuntur', cum iis reliqui consentiunt, ac sunt sane talia, ut illum de universi loci sententia rectissime statuisse intelligas: de ipso hoc vocabulo plures nemo eorum quicquam adnotavit. Habent illi silentii socium Dionysium Lambinum, qui in tanta Latini sermonis peritia tacere quam posteros docere maluit. Non tacuerunt recentiores, at dubito tamen, num acu tetigerint id, quod tangendum fuit. Confugiunt enim ad attractionem, quam grammatici vocant, atque Horatium paucissimis verbis idem dixisse arbitrantur, quod plenius ita dicendum fuerit: ‚quippe quum plures digni sint qui culpentur.' Exempla, quibus ad stabiliendam sententiam utuntur, tantum non omnia Graeca sunt, qua in re nescio an parum meminerint, quanta satirarum atque carminum diversitas sit. Latina quae attulerunt, ea, quum accuratius pensitantur, minime efficiunt, ut istud attractionis genus non admodum durum videri debeat. Concedendum tamen fortasse esset, ipsi Horatio aliquid obscurius excidisse, si, probata illorum sententia, omnia ita procederent, ut poetam accurate, si non scripsisse, at certe cogitasse intelligeremus. Quod quidem secus se habet. Sive enim plures hic dici existimamus maiorem eorum partem, qui satiricam poesin improbabant, sive (quae durior ratio est neque ullum, si recte memini, patronum habet) plures de omnium omnino civium maiore parte interpretamur: neutrum tolerabile est. Etenim si plerique eorum, qui satiras oderant, eam odii causam habebant, quod ipsi reprehensione sibi digni viderentur: ceteri in exagitando illo carminum genere aliud quiddam secuti sunt. Non licuit igitur poetae ita loqui: ‚sunt qui me vituperent ea de causa, quod plerique

eorum suae sibi pravitatis conscii sunt': quid enim fiet de iis, qui minus sibi timebant? Nam in collegiis ea sane lex obtinet, ut, qui pauciores sunt, pluribus concedant: in poetis existimandis suam quisque opinionem sequitur, neque, qui iudicare volunt, in suffragia mittuntur. Horatius igitur aut adfectavit magnae negligentiae speciem, quod nemo sibi persuadebit, aut non plerosque eorum, a quibus contemnebatur, sed ad unum omnes illud periculum metuisse dixit, quod ipsis a satirica poesi immineret. Sin vero de maiore civium parte cogitare malis, ea quidem explicatio et cum ipsa attractionis natura et cum iis pugnat, quae sequuntur 'quemvis media erue turba': intelligitur enim, non plerosque Horatio suspectos visos esse, sed omnes, quod egregie confirmatur hoc versu sat. II. 1. 23 'cum sibi quisque timet.' Tertia explicatio quum nulla inveniri possit, habebimus, opinor, cur vulgatae scripturae veritas in dubitationem vocetur. Medelam ab ipsa versuum sententia repetendam esse arbitror. Etenim qui omnes satiricae poesis adversarios sibimet ipsis timere pronuntiat, dicit id, quod, ut ipsi fortasse persuasissimum est, ita, si quis dubitet, certis argumentis non potest liquido demonstrari. Dixit quidem Horatius, in quovis e media turba arrepto, ubi accuratius examinaretur, aliquid inventum iri, quod commode perstringi posset: at eiusmodi examen quis unquam instituit in omnibus? Itaque poetam aliquid scripsisse existimo, quo et suam persuasionem firmissimam esse profiteretur, et certorum argumentorum, quae nulla afferre poterat, quasi vicem expleret: idque effici potest, si suspectum locum ita mutamus:

quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, utpote, iures,
culpari dignos.

Ipsa mutatio lenis est: hae enim literae I et L quam facile olim permutari potuerint, notum est, atque constat in iis etiam libris, qui minusculis scripti sunt, literam i non raro supra

lineam adscendere, ita ut proxime ad l literae figuram accedat. Qui autem vel LURES vel lures legebat, facere vix poterat, quin eam literam adderet, qua ipsi ad perficiendum vocabulum opus videretur. Iurandi denique verbo similiter usus est Horatius epist. II. 1. 244.

Superest unus locus, de quo dubitantius dicemus, quoniam eius emendationem inchoare nobis posse videmur, consummare non item. Quae enim codices exhibent sat. II. 7. 29:

si nusquam es forte vocatus
ad coenam, laudas securum olus ac, velut usquam
vinctus eas, ita te felicem dicis amasque
quod nusquam tibi sit potandum:

ea sic ab ipso Horatio scripta esse vix crediderim. Primum magnopere me offendit minime iucundus versuum sonus, qui inde oritur, quod intra paucissimas lineas usquam ter ingeritur: si nusquam, velut usquam, quod nusquam: habent ea profecto parum splendoris, et nescio an honore indigna fruantur. Semel autem motae suspicioni ex ipsa loci sententia, qualis nunc est, aliquid ponderis videtur accedere. Haec enim ‚velut usquam vinctus eas' non possunt aliter accipi atque solent ab interpretibus explicari, ita ut haec dixerit Davus: ‚laetaris ita, quasi ad ullius unquam convivium vinculis oneratus eas': quod tamen dubito num valde probabile sit. Nam si de vi illata dicere volebat petulans iste sapientiae magister, fortiori aliquo vocabulo uti debebat, qualia sunt: rapi, trahi obtorto collo, similia; idque recte senserunt interpretes ii, qui pro vincto callide ‚vinculis oneratum' posuerunt. Vinctus certe multo leniorem interpretationem admittit. Qui enim a potenti aliquo homine ad convivium vocatur, ei non omnino liberum est arbitrium, utrum venire velit an non velit, atque ipsum Horatium, quo tempore haec scripsit, non puto, si vocaretur a Maecenate, eadem libertate usurum fuisse, qua postea usus est epist.

I. 7. At qui inviti ad coenam eunt, quoniam id sibi faciendum esse intelligunt, eos cur non dicat poeta vinctos illuc ire? poterat, si recte sentio, eodem iure ita loqui, quo omnes se alicui devinctos esse vel liberalitate alicuius obstrictos atque obligatos teneri profitebantur. Simplici verbo similiter usus est Tacitus, quum ‚corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse' narrat Ann. IV. 10: quod idem si aliquanto prius poeta ausus reperietur, non mirabor equidem in tanta similium exemplorum copia. A Davi autem sermone nihil alienius est, quam verba, in quibus vel levissima moderationis in dicendo species insit: is enim ita cum domino altercatur (25 clamas, 29 levis, 35 blateras, 43 me stultior ipso), ut fortissima quaeque illi convenientissima fuisse intelligas. His argumentis adducor ut suspicer, peccatum aliquid esse a grammaticis in ea enuntiati parte, de qua disputamus. Id quale sit, eo mihi indicari videtur, quod Horatium ‚securum olus' laudasse accipimus: inde illum in principum coenis aliquid metuisse colligo, quod aut periculum esset aut periculi simile. Neque vanus is metus erat, quum sciret, nobiles homines humilioribus haud raro abuti, ut Philippus abusus est Volteio Mena, qui ‚occultum visus decurrere piscis ad hamum' dicitur epist. I. 7. 74. Haec quoties mecum reputabam, in eandem semper coniecturam incidi, non usquam olim in versus clausula fuisse, sed escam, quod vocabulum suspecto eiusmodi convivio unice videtur accommodatum esse. Neque ipsa mutatio temeraria est: potuit enim in antiquo aliquo libro quod nunc escam scribimus, ita scriptum esse: esquam, quemadmodum I. Cruquius ad sat. II. 5. 36 quarere pro carere in codicibus se invenisse testatur, quos constat quam vetustos habuerit: alia quaedam exempla, huius paullo minus similia, consulto omisi. De ceteris alii viderint: nam quod mihi in mentem venit, pro his vinctus eas non nimis violenta

mutatione scribi posse vix fugias, id fortasse non plane caret probabilitate, at tale tamen est, ut probabiliora inveniri possint.

V

In primi satirarum libri ecloga decima eos poetas, qui illo tempore suo quisque in genere excellebant, ita commemorat Horatius, ut tribus Pollionis, Varii, Vergilii nominibus quartum addat Fundanium, ignotum alioquin hominem, de quo ne veteres quidem commentatores quicquam videntur traditum accepisse, quum nihil dicant, nisi ‚optimum eum comoediographum' fuisse. Ipsi versus hi sunt (40 sqq.):

arguta meretrice potes Davoque Chremeta
eludente senem comis garrire libellos
unus vivorum, Fundani.

Haec qui ita interpretantur, ut universum enuntiatum satis libere circumscribant, resque et verba, ut ipsis libet, aliter et ponant et coniungant, quod quidem iam inde a Lambini aetate fecerunt plerique: ii otio sane suo egregie parcunt, num officio satisfaciant, ipsi viderint. Audi modo summum alioquin hominem, Lambinum: ‚tu, Fundani, unus ex iis, qui vivunt, potes omnium optime comoediam scribere: tu omnibus hominibus praestas in scribendis comoediis: in quibus inducuntur meretrices argutae et servi dominos fallentes dolis.' Omissa ista interpretandi levitate, qui accuratius singula rimati sunt, intellexerunt fere, inesse in illis versibus, quae magnopere offenderent: sunt autem tam multa, ut, quae in codicibus leguntur, nullo modo tolerari posse videantur; quamcunque enim enuntiati partem tanges, hiulca atque aegra invenies omnia. Quorsum igitur, ut incipiam a primis, spectant ablativi illi ‚arguta meretrice' et ‚Davo senem eludente', sive ab instrumento sive a causa appellantur? Ad ‚potes garrire libellos', inquiunt. At qualis haec est ver-

borum coniunctio, si quis dicitur arguta meretrice garrire posse, quasi ad argutam meretricem illa garriendi facultas accepta sit referenda. Haec quum appareat et inepta esse et non Latina, alii ita fere respondebunt, ut dicant, ablativos illos pro absolutis, quos vocant, habendos esse ‚quum meretrix arguta sit Davusque senem dominum eludat', idque, inversa sententia, ita debere explicari, quasi dixerit Horatius: ‚tu potes comis libellos garrire, ita ut meretrix arguta sit et servus dominum eludat, quod solet fieri in comoediis.' At nimia profecto quorundam patientia est, qui contorta omnia et operose quaesita pro Horatianis venditant: talia certe qui Horatio obtrudunt, ii parum videntur meminisse, inter multas eius virtutes nullam magis eminere quam facilitatem. Recte id perspexit Kirchnerus, qui verba ita distingui malebat ut, ‚potes' cum ‚garrire libellos' coniungeretur, ‚comis' ad ipsos illos ablativos referretur. At merito ab aliis improbata est haec clarissimi viri opinio: nam comitas Fundanii utique in ipsius ingenio posita erat, neque ab arguta meretrice aut Davo dominum eludente originem habebat. Eam autem comitatem quod ostendebat in describendis eiusmodi homuncionibus, id quidem non potest in illa formula ‚comis meretrice' inesse, nisi confugere velimus ad interpretationem non minus contortam atque obscuram ea, quae modo est a nobis reiecta. Alii nuper redierunt ad sententiam iam a Lambino commemoratam, ita ut ‚comis' pro accusativo haberent et cum ‚libellos' coniungerent. Atque illud quidem magnopere probo, quod dixerunt libellos, si nihil accederet aliud, vix posse de comoediis explicari: nam ut comoediae, ubi semel literis consignatae sunt, non minus quam orationes et alia eiusmodi, singulos libellos efficiunt, ita tamen qui libellos commemoratos inveniet, suo iure de tam multis libellorum generibus cogitare poterit, ut nihil omnino certi cogitet. At num credibile est, comes libel-

los ab omnibus confestim ad comoedias relatum iri? Nihil minus: nam quum ipse Lucilius comis dicatur ab Horatio, sine dubio satirae quoque Lucilianae inter comes libellos ponendae erant, neque video, cur non alii etiam libelli haud pauci comes dici potuerint. Unum est, quod inter has nebulas dispicere mihi videor, quamquam id quoque sentiri facilius potest, quam certis argumentis demonstrari. Eum enim, qui comiter garriat, ‚comem garrire' dici, id plane Horatianum esse et mihi videtur, et aliis, qui penitus norunt poetam, visum iri confido. Hoc igitur, ut minimum dicam, valde probabile censeo, ipsam eam formulam, quasi solennem, retinendam esse, et ita quidem retinendam, ut neque separentur, quibus coniunctis efficitur, neque quicquam praeterea addatur. Eaque in re licet fortasse ad Cruquianum commentatorem provocare, qui haec habet: ‚garrire nugari, propter personarum humilitatem, qui in comoedia loquuntur'; ac nugari etiam apud Acronem comparet. Ita, nisi fallor, vix scripsisset, quisquis primus scripsit, si suo in libro verbum, quod est garrire, cum accusativo coniunctum repperisset. Accedit ipsa ratio: nam ut nemo negabit, rectissime dictum esse ‚nugas garrire, fabellas garrire' et si qua eiusdem generis sunt, ita vix crediderim, verbo, quod de loquente homine ponitur, a bono scriptore adiungi potuisse vocabulum, quod scriptam rem significat; et vereor sane, ne libellos garrire non magis recte se habeat, quam si quis Vergilium non arma virumque, sed libros de Aenea cecinisse dicat. Quae quum ita sint, non levis oritur suspicio, libellos a correctore esse, qui quum pristinae scripturae vestigia, quae supererant in codice male habito, parum prudenter in explenda lacuna sequeretur, hunc quoque locum imperite interpolaverit. Quid olim scriptum fuerit quaerentibus ipsum Horatii de Fundanio iudicium accuratius examinandum erit, praesertim quum id perperam a quibusdam explicari soleat.

Qui enim sibi persuaserit, eos, qui singulis aetatibus in singulis poesis generibus soli probati sint, ipso iure inter magnos et vere egregios poetas referendos esse, is sane habebit, cur de Fundanio praeclare sentiat: at idem, si constare sibi volet, eodem paene loco inter summos poetas et Homerum ponet et Claudianum. Verum quum cogitamus, Fundanium ne nominari quidem ab ullo alio scriptore, ac ne unum quidem eius versiculum adhuc inventum esse, rectius coniiciemus, quamvis ille suo in genere excelluerit, ipsum tamen hoc genus non omnino commendabile fuisse. Atque erat Augusti aetate scenicae et maxime quidem comicae poesis ea conditio, ut nullus facile poeta omnibus spectatoribus placere totiusque theatri plausum excitare posset. Equites enim, ut qui inde a pueris lautius habiti accuratiusque eruditi essent, verae et incorruptae poesis patronos agebant, at quum elegantia potissimum caperentur, eo paullatim delabebantur, ut sola externa specie delectarentur, et histrionum ornatum pluris facerent quam poetarum artem (epist. II. 1. 187): plebs ea maxime probasse videtur, quae humilia essent suisque moribus accommodata, ita ut pugiles et ursum poscere mallet, quam patienter audire ea, quae magnopere placebant nobilibus (ibid. 185). Neque nimis mirum nobis videbitur, Romanam plebem, quae, patrum et avorum exempla secuta, etiamtum admirabatur Terentium et Statium (epist. II. 1. 59 sq.), in novis poetis existimandis ita a pristina iudicandi facultate degenerasse, dummodo meminerimus, plerosque eorum, qui tunc perperam iudicabant, inter ipsa bella civilia natos fuisse: iidem autem homines quod Vergilium in theatro venerabundi salutarunt (dial. de orat. 13) et Horatium praetereuntem digito monstrabant (carm. IV. 3. 22), id haud scio an inde explicari debeat, quod solet plebs nonnulla, quae supra se posita esse sentit, caeca quadam veneratione prosequi, de iis vero, quae natura sua popularia sunt, iudicat ipsa. Qui medii erant inter

utrosque, cives honestos rectius sensisse, ex iis intelligitur, quae Horatius a. p. 153 in comico poeta et se requirere dicit et ‚populum' secum: at valebat tamen eorum iudicium, qui, ut ait ipse, ‚numero plures, virtute et honore minores, indocti stolidique' erant. In hoc rerum statu aut abstinendum erat a comica poesi, aut poesis ad vulgi voluntatem accommodanda: in populari enim arte solam prudentium approbationem expetere vix cuiquam licebat impune (sat. I. 10. 76). Atque hanc quidem viam ingressum esse Fundanium, et inde colligere licet, quod solus tunc probabatur, et confirmatur ipsis iis, quae de eo dicit Horatius. Sola enim comitate in garriendo qui commendatur, is sane neque morosus homo est neque superciliosus; erit idem fortasse ingeniosus, facetus, risus et iocorum amator; erit denique Lucilii similis, qualis describitur ab Horatio: at carebit ea arte atque perfecta elegantia, qua sola veram et diuturnam gloriam, in prudentium iudicio positam, mereri Venusinus poeta iudicavit. Dimidiatam autem eiusmodi laudem, leni quadam vituperatione temperatam, etiam in eo inesse puto, quod Horatius, ut Fundanii comoedias significaret, meretricem argutam fraudulentumque servum commemoravit. Sunt quidem hae personae comoediae propriae: at eius alia etiam haud pauca propria sunt, quae et venustius tractari possunt, et magis fere delectant eos, qui ultra plebem sapiunt, tollitque omnem dubitationem ipse Horatius, quum a. p. 236 sqq. simillima scripserit haec:

> nec sic enitar tragico differre colori,
> ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax
> Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
> an custos famulusque dei Silenus alumni.

Ibi enim quis est quin intelligat, servi ac lascivae puellae mentionem factam esse, non ut universa omnino poesis comica describeretur (vide modo v. 94), sed ut eae comoediarum

partes definirentur, quae maxime humiles ac paene abiectae et plebeiae essent? Quodsi in Fundanii comoediis nihil magis eminebat, si nihil prius ex iis commemorandum erat, quam meretricum et servorum astutiae; si sermone utebatur non agresti quidem illo, neque tamen ad artis elegantiam conformato: nihil mihi videtur veri similius esse, quam illum, temporibus obsecutum, hoc inprimis spectavisse, plebi ut placerent, quas fecisset fabulas. His argumentis adducor ut credam, secundum eorum versuum, de quibus disputamus, aliquo in codice ita olim scriptum fuisse:

eludente senem comis garrire ... ELLO.

Quam lacunam quum ita explevisset corrector, ut libellos scriberet, in praecedentibus etiam aliquid mutandum fuit, ut cohaerere videretur sententia. Ipsum Horatium haec scripsisse coniicio:

arguta meretrice places Davoque Chremeta
eludente senem, comis garrire, popello
unus vivorum, Fundani.

Fundanium autem quod solum dixi probatum esse, quum plerique locum ita interpretentur, ut illum prae ceteris placuisse dicant, consulto feci. Possum ad Porphyrionem provocare, qui haec habet: ‚solum illis temporibus Fundanium dicit comoedias bene scribere': sed quum latius pateat ea res, paullo altius videtur repetenda esse.

Adiectivum, quod est unus, qui ita poni posse existimant, ut non de eo usurpetur, qui solus vel est aliquid vel facit aliquam rem, sed, etsi nullum praeterea vocabulum additum sit, ipsum praestantiae aliquam laudem ac significationem contineat, isque simpliciter unus dicatur, qui in quacunque re excellat: ii provocant fere ad ea, quae Bentleius scripsit ad a. p. 32: poterant illo duce longius etiam progredi, veteresque ipsos huius doctrinae defensores advocare. Atque sane Servius, non omnino spernendus auctor,

unum docuit vel solum dici vel praecipuum: neque eo tantum loco, cuius Bentleius mentionem fecit (ad Aen. II. 426); eandem enim distinctionem sequitur ad Aen. V. 704 et VI. 106. Verum de ipso hoc more, qui in lexicis potissimum regnat, vocabula per varias ac plane diversas significationes ita discerpendi et distrahendi, ut tria, quatuor, plura etiam vocabula in unius locum substituantur, quam non clementer sit iudicandum, hodie nemo facile ignoraverit, quum dudum intellectum sit a praestantissimis viris, ea via ad veram vocabulorum vim atque naturam mente complectendam aut raro perveniri aut nunquam, observandi autem assiduitatem et accurationem persaepe eiusmodi mediocrium interdum iudicum praeiudiciis impediri. Idem de ea distinctione dixerim, de qua disputamus, quamvis magnum patronum sit nacta. Multorum enim exemplorum comparatione instituta, hoc mihi persuasi, in omnibus illis locis, quibus unum id dictum esse aiunt, quod praecipuum sit, non esse a vulgari consuetudine discedendum, atque ubique unum dici eum, qui solus vel pluribus vel aliis vel omnibus opponatur.

Atque illud quidem facile intelligetur, a defensoribus eius sententiae, in qua refellenda versamur, frustra afferri ea exempla, quibus demonstratur adiectivum unus persaepe a veteribus cum superlativo coniunctum esse. Hoc enim loquendi usu, dummodo recte intelligatur, nihil efficitur, nisi ut sentiamus, quam inviti articulo caruerint Latini. Graeci enim quum alium *ἄριστον* dicerent, alium *τὸν ἄριστον*: Latini facere non poterant, quin utrumque uno et eodem vocabulo optimum appellarent. Iam si quando ambiguum esset, num plenam ac propriam vim haberet superlativus, an aliquanto leniorem et certis finibus circumscriptam: illud quum volebant, duobus potissimum auxiliis utebantur, ut *τὸν ἄριστον* aut omnium optimum dicerent aut unum opti-

mum. Et recte quidem illi: nam qui solus inter quotcunque homines ἄριστος est, idem profecto suo iure ὁ ἄριστος appellabitur. Haec adiectivi cum superlativo coniunctio apud optimum quemque scriptorem tam frequens est, ut exemplis non sit opus: hoc unum addiderim, quum constet articuli vestigia in Homericis carminibus admodum raro comparere, dubium mihi videri, an Homericum quoque illud (Iliad. μ 243): εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, quod alii postea imitati sunt, eodem plane modo sit explicandum. Quae de superlativo diximus, eadem ad comparativum spectant, qui ubi adiunctum habet illud adiectivum, vim nanciscitur fere eandem, quam habet ipse superlativus: etenim qui, comparatione instituta, solus melior reperitur, is ceteris et singulis et universis praestat, neque quicquam est, cur non ὁ ἄριστος dicatur. Qua loquendi formula quum nihil efficiatur, quod non idem priore illa, de qua diximus, effici possit, non est mirandum, hac multo rarius usos esse scriptores, quam altera: apud Horatium unum, quantum memini, exemplum est epod. 12. 4, ubi quod unum se sagacius odorari dicit, idem id est, ac si aut, inversa oratione, neminem se sagacius odorari dixisset, aut se unum in odorando sagacissimum esse; nisi quod fortasse comparativi usus paullo modestior videbatur. Hic autem locus de superlativo et comparativo latissime patet: eodem enim pertinent eae formulae omnes, quarum in significatione aliquid inest, quod idem per superlativum vel comparativum efferri poterat. Quod quidem frequentissimum est in verbis, qualia sunt superare, excellere, similia, at idem obtinet etiam in adiectivis et adverbiis, quae tale quid significant: recte igitur aliquis unus praecipue floruisse dicitur, recteque Horatium olim admirati sunt ‚ut unum scilicet egregii mortalem altique silenti' sat. II. 6. 57. Itaque quamvis speciosa sint quaedam, ex hoc exemplorum genere ad falsam illam distinctionem

stabiliendam allata, apparebit tamen, quum diligentius examinabuntur, perperam inde colligi, adiectivum unus ipsum per se idem esse, quod 'praeter ceteros, melius quam reliqui omnes': ita enim qui statuunt, ii eam vim, quae in tota aliqua formula totove enunciato inest, temere in adiectivo satis simplici inesse autumant, quum ea plerumque in verbo sit posita. Valet in omnibus his locis, quod supra de superlativo et comparativo diximus: ubique unus idem est quod solus.

Neque tam saepe erratum esset in causa satis perspicua, nisi duae potissimum res imposuissent interpretibus. Fit enim haud raro, ut scriptores aut ipsi fortius loquantur, aut alios fortius loquentes inducant, unusque dicatur is, qui nobis non videtur collegis caruisse. In eiusmodi locis qui ita versatur, ut in interpretando moneat, talia nimia esse, facit quod non plane alienum est ab interpretis officio: qui vero ipsa scriptorum verba ita a vera et primaria sententia detorquet, ut ipsis etiam vocabulis eam vim tribuat, quam suae opinioni accommodatam esse sentit, graviter est vituperandus; optat enim, quum docere debeat. Atque in hanc vituperationem ipse etiam Bentleius incurrit: qui quod (ad a. p. 32) versum sat. II. 3. 24 'hortos egregiasque domos mercarier unus cum lucro noram' ita explicat, quasi Damasippus non solus id noverit, sed melius noverit quam ceteri, discere equidem velim, quonam id sibi iure licere putaverit. Annon hodie etiam vanos atque arrogantes homines dictitantes audimus: *οἶος πέπνυμαι· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν*? Alterum rectae rationis impedimentum positum est in verborum significatione superlativa, quae a multis saepe non videtur recte intellecta esse, quamquam ipsi veteres cum modestia quadam et circumspectione ea uti solebant. Habent enim hoc vocabula haud raro cum nummis commune, ut ipso usu quasi deterantur, pristinaque eorum vis

minuatur atque remittatur. Quare non mirabimur, non eum solum eminere dici, ut hoc exemplo utar, qui omnium summus sit, sed eos etiam, qui a summo proxime absint: itaque Cicero, si orat. 29. 104 simpliciter Demosthenem unum eminere dixisset, praevidere poterat, multos fore, qui, vulgarem dicendi consuetudinem secuti, negarent illum solum eminuisse, eminentes oratores fuisse etiam Aeschinem, Isocratem, alios. Intendendi igitur erant dicendi nervi, ut intelligeretur, eminere illo loco ἐμφατικῶς poni de eo, qui, quum ceteros ad unum omnes superaret, solus esset in ipso artis fastigio collocatus. Eam ad rem usus est quodam cumulandae orationis artificio: scripsit illum 'unum eminere inter omnes.' Conferas cum his illud Ephesiorum populiscitum, quod est apud Ciceronem Tusc. V. 36. 105: 'nemo de nobis unus excellat.' Non erant illi humanae naturae ita ignari, ut lege lata se id efficere posse putarent, ut inter cives nullus nullo melior esset: at si quis reliquos omnes ita post se reliquisset, ut parem haberet neminem, solusque supra reliquam civitatem omnem elatus esset, eum existimabant ferendum non esse. Et hi quidem non dixerunt 'de nobis omnibus', ut intenderetur verbi vis: sciunt enim omnes, in legibus quae ponantur vocabula, ea plene ac proprie interpretanda esse. Quod in duobus exemplis demonstravimus, idem in permultis demonstrari potest: omnia ita explicanda sunt, ut unus suam ac propriam significationem retineat. Id quo magis appareat, breviter nunc dicam de iis Vergilii versibus, in quibus interpretandis Servius suam distinctionem secutus est. Narrat igitur ille Aen. II. 426 Rhipeum in nocturno illo proelio cecidisse 'iustissimus unus qui fuit in Teucris': at de adiectivi unus cum superlativo coniunctione rectiora, nisi fallor, supra proposuimus. Dicit idem Aen. I. 15 (vid. Serv. ad Aen. VI. 106), Iunonem Carthaginem 'magis omnibus unam posthabita coluisse Samo': at

hoc quidem pertinet ad ea, quae supra de comparativo diximus. In sexto libro Aeneas Cumanam Sibyllam ita adloquitur v. 105: ‚omnia praecepi atque animo mecum ante peregi, unum oro': non video cur reclamet Servius, quod enim orat Aeneas, id orat solum, neque alias preces ullas addidit. Paullo speciosiora haec sunt, e quinto libro sumpta (v. 704 sq.):

tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
quem docuit —.

At num novimus tam multos, qui a Minerva vaticinandi artem didicerint? Unum, nisi fallor, Tiresian, de quo idem narrat Callimachus in lavacro Palladis v. 121, quum alii eum ab ipso Iove ea arte donatum fuisse tradant (Ovid. Met. III. 338. scholl. Odyss. κ 494 λ 90). Callimachum autem quum constet rarissima quaeque et minime vulgaria curiose captasse, dubitare licebit, num illius fabulae memor fuerit Vergilius: ipse certe aliam ac suam rationem secutus est, Varronis libro de familiis Troianis eam in rem adhibito. Nautiorum enim familia ideo Minervae sacra retinebat, quod Nautes, qui auctor gentis credebatur, Palladium Romam detulerat. Hinc, nisi fallor, Vergilius, aut poetandi licentia usus aut narrationem ab ipsis Nautiis acceptam secutus, Nauten finxit ab ipsa Minerva doctum, non in magna discipulorum turba, sed unum atque solum, quo rei splendor magnopere augetur. Concidunt igitur ista adversariorum argumenta omnia: neque tamen reticebo, unum esse locum eumque Ciceronianum, qui pro illis facere videatur. In oratione pro Roscio comoedo (5. 15.) quum alia complura, propter quae exspectari poterat, litem secundum Roscium datum iri, tum honoraria multorum arbitria commemorantur. Ibi quae nunc leguntur: ‚et iudex est is, quem nos non minus bene de nobis existimare, quam secundum nos iudicare velimus; et advocatio ea est, quam propter eximium splendorem ut iudicem unum ve-

vereri debeamus', si recte se haberent, vix facere possemus quin concederemus, iudicem unum hic dici eximium vel praecipuum vel optimum iudicem. At recte iudicavit Garatonius, qui in ipso illo vocabulo corruptelam latere pronuntiavit, quamquam quod ipse coniecit ,ut iudicem ipsum', id et languidum est et nimis vulgare: equidem locum ita corrigendum esse censeo: ,et advocatio ea est, quam propter eximium splendorem ut iudicem mutum vereri debeamus.' Unum superest. Quum appareat enim adiectivum unus tum ab Romanis vel cum superlativo coniunctum, vel in formulis atque enuntiatis, quorum similis est sententia, positum esse, quum cavere volebant, ne legentes quicquam de plena et summa vi superlativi detraherent, minime mirum est, illud amplificandae et augendae orationis artificium, quod supra attigimus, permultis locis adhibitum esse, et maxime quidem ab iis scriptoribus, qui copiae verborum multum tribuebant, ita ut persaepe inveniantur talia: ,unus omnium optimus, unus post homines natos praestantissimus.' Quo in artificio quas leges secuti sint, rhetorum est explicare, non grammaticorum, praesertim quum eiusmodi additamenta multum plerumque conferant ad numerosius struendam orationem.

Haec si recte disputavimus, sequitur, Fundanium, si unus tunc placebat, non prae ceteris placuisse, sed solum probatum esse. At spectant, quae diximus, etiam ad alterum locum a. p. 32 sqq.:

> Aemilium circa ludum faber unus et ungues
> exprimet et molles imitabitur aere capillos,
> infelix operis summa, quia ponere totum
> nesciet.

In his si retinetur illud unus, quod primus commendavit Bentleius, faber iste, qui circa Aemilium ludum statuam aliquam fabricabatur, homo, ut videtur, satis notus, unus i. e. solus capillitii mollitiem aere studebat imitari. Possit contra

dici, nullam omnino statuam cogitari posse, in qua nulla plane sit unguium et capillorum ratio habita, itaque illa aetate aut nullum praeterea artificem fuisse, aut illum non solum in his rebus imitandis versatum esse. Nolim tamen hoc urgere: imo concedo, videri ipsa minutarum rerum commemoratione aliquam accurationis et diligentiae commendationem contineri. At num credibile est, illum Augusti aetate solum accurate et diligenter ungues atque capillos expressisse? Id quominus credam, haec me impediunt. Quum aliis in rebus permultis, tum in eo cernitur praeclarum Alexandri M. ingenium, quod nonnulla ipsius iudicia, ad artes atque artifices spectantia, a posteris etiam pro veris habita adsensuque comprobata esse scimus. Itaque quod Lysippo inter aeris fundendi artifices principatum detulit, ita ut ab hoc uno suam imaginem aere exprimi vellet, ipso hoc edicto posteris et magnum artificem commendavit, et suam harum rerum peritiam probavit: quumque constet, veteres artifices ea temperantia usos esse, ut, ubi semel id inventum esset, quod omnibus numeris absolutum ac perfectum videretur, non suas visiones temere sequerentur, sed summum illud exemplum aemularentur imitando, non mirabimur, per complura secula Lysippeam sectam in praecipuo honore fuisse. De ipso autem Lysippo copiose pro totius instituti ratione disserit Plinius n. h. XXXIV. 8, ubi inter alia haec habet: ‚statuariae arti plurimum traditur contulisse capillum exprimendo, capita minora faciendo quam antiqui rell.' paucisque interiectis: ‚propriae huius videntur esse argutiae operum custoditae in minimis quoque rebus.' Neque in urbe perdocti tantum homines, qualis Plinius erat, Lysippi artem magni faciebant. Ex quo enim complures eius statuae a Metello, Macedonia subacta, Romam translatae erant, vulgo etiam probari coepit, et ita quidem probari, ut Romana plebs paene Graeculorum studia aequaret. Nam quum Tiberius Lysippi ἀποξυόμενον, quem M. Agrippa

ante thermas suas dicaverat, inde in cubiculum suum transtulisset, ‚tanta populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus Apoxyomenon flagitaverit, princepsque quamquam adamatum reposuerit' (Plin. ibid. § 62). Alio eiusdem artificis opere Neronem summopere delectatum fuisse scimus, quamquam is quidem apud se habebat Zenodorum, qui fingendi caelandique scientia nulli veterum postponebatur (Plin. XXXIV. 7). Iam quis dubitaverit, quin eum artificem, qui et principibus et ipsi populo adeo placuerit, longe plerique imitati sint eorum, qui Romae in eodem artis genere elaborabant? quumque aliquanto facilius sit, magnos homines in minimis quibusque aemulari, quam in iis, quibus se vere magnos praestant, admodum probabile mihi videtur, ipsam Lysippi artem a nemine aequatam esse, lenocinia atque argutias, quibus utebatur, permultos vel aequasse vel etiam superasse: est enim haec eiusmodi artificiorum conditio, ut semel inventa atque monstrata mox etiam in vulgi consuetudinem veniant. Habebat igitur sine dubio ille Horatianus faber haud paucos laudis aemulos, neque credi potest, poetam in mediocri artifice ea hyperbole usurum fuisse, ut unum diceret, qui potius unus de multis dicendus erat. Scio quidem non deesse, qui fabrum unum interpretentur fabrum aliquem: at ea opinio rectissime a plerisque reiecta est. Aliquanto ad persuadendum aptius provocaveris ad hos Catulli versus 22. 9 sqq.: ‚haec quum legas tu, bellus ille et urbanus Suffenus unus caprimulgus aut fossor rursus videtur: tantum abhorret ac mutat', quibuscum Orellius ad sat. II. 6. 57 Ciceronis formulam comparavit, qui in M. Antonium ‚unum gladiatorem' est invectus. Addi etiam possunt, quae idem M. Tullius Crassum dicentem fecit de orat. I. 29. 132: ‚de hoc uno minime facile est praecipere non mihi modo, qui sicut unus pater familias his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio.' Qui tres loci quomodo

explicandi sint, parum adhuc constat, quamvis probabilis eorum sententia videatur, qui unum vel fossorem vel gladiatorem vel patrem familias eum censent dici, qui vel fodiendo vel batuendo vel familiam alendo ita occupetur, ut totus ea in re sit neque ultra velit sapere. Quod quidem ad fabrum illum non opinor apte transferri posse: atque est omnino Horatiani versus plane diversa ratio, quum non ‚unus faber' ibi dicatur, sed, vocabulis aliter collocatis, ‚faber unus'.

Neque tamen continuo in eorum castra transfugerim, qui alteram lectionem ‚Aemilium circa ludum faber imus' tuentur. Qui quamvis acute interdum disputaverint, unum tamen argumentum, quod ipsorum interpretationibus obstat, nondum potuerunt evertere: neque facile poterunt. Nam quum ineptum sit, de fabro imo i. e. vel pessimo vel brevi cogitare: sive fabrum ipsum imo loco tabernam habuisse statuis, sive eius statuam imam fuisse inter complures, quoquo te vertis, nunquam intelliges, quid circa Aemilium ludum vel summum vel imum dici potuerit. Huic Caroli Feae argumento tantum equidem tribuo, ut, quum neque unus neque imus probabilem explicationem habeat, vix dubitem, quin impeditissimus versus aliter olim a poeta scriptus fuerit. Quid mihi in mentem venerit, priusquam dicam, etiamsi recte disputarint, qui negarunt propter nimiam literarum similitudinem hac in causa ad codices provocandum esse, hoc tamen non plane leve mihi videri profiteor, quod veteres commentatores, qui testes iis libris, quibus nos utimur, antiquiores sunt, omnes de fabro imo dicunt. Itaque Horatium haec scripsisse coniicio:

> Aemilium circa ludum faber inritus ungues
> exprimet et molles imitabitur aere capillos;
> infelix operis summa —.

Inritus similiter posuit Vergilius Aen. V. 442 ‚variis adsultibus inritus urguet', neque quicquam aptius addi poterat ab

Horatio. Quod enim sibi proposuerat faber, hoc erat, ut pulchram statuam conficeret; id quum non assequeretur (infelix operis summa), frustra elaborabat in minimis: nam quae singula magnis laudibus extolluntur in opere, quod totum pulchrum est, ea in statua, quae tota displicet, plerumque ne agnoscuntur quidem. Cetera sic expedio. In eo codice, e quo propagata est corruptela per reliquos omnes, una syllaba exciderat, quam librarius, communem consuetudinem secutus, supra lineam adscripsit, ita ut haec scriptura evaderet: inr[it]us. Eiusmodi syllabae suprascriptae notum est quam saepe sedem mutaverint, ac saepius etiam literae E et I confusae sunt a librariis. Itaque facile ex altero errore alter oriri poterat, ut scriberetur inrus et: quid porro factum sit, num imus librarii alicuius calamo debeatur, an correctoris, exsanguem vocabuli umbram captantis, ingenio, id quidem divinari non potest.

Scio haec artificiosius excogitata esse, quam ut adsensum extorquere possint etiam invitis: unum hoc moneo, ne quis hanc particularum oppositionem ‚et ungues exprimet et capillos imitabitur' tam elegantem esse opinetur, ut nefas sit in ea quicquam turbare. Horatius enim quum saepissime tripartitis enuntiatis utatur, qualia haec sunt:

gaudent scribentes et se venerantur et ultro,
si taceas, laudant —. epist. II. 2. 107
arcessas et egere vetes et scribere cogas. epist. II. 1. 228
alternis aptum sermonibus et populares
vincentem strepitus et natum rebus agendis. a. p. 81:

raro tantum bina bipartiti enuntiati membra, quorum utrumque suum ac proprium verbum habet, aut ipsum verbum est, a particula et inchoat. In epistolis, nisi quid me fugit, semel id fecit I. 18. 22 ‚gloria quem supra vires et vestit et ungit', aliquanto saepius in arte poetica, ita tamen, ut plerumque duae res aut admodum diversae aut plane con-

trariae repetita particula copulatae sint. Nam v. 93 sqq. comica poesis tragicae opponitur, v. 258 Accius Ennio, recteque ibi videtur a P. Victorio mobilibus scriptum esse. V. 279 laudatur Aeschylus, quod idem diversis rebus prospexerit, theatrorum ornatui et granditati personarum; v. 345 iuxta locorum longinquitatem temporis diuturnitas ponitur: denique v. 366 patris prudentia consilia separantur ab ipsius filii praeclara indole. Haec qui ponderaverit accuratius, non negabit, in omnibus aliquanto maiorem rerum diversitatem comparere, quam quae in variis unius statuae partibus cernitur. Quamquam igitur nolo praefracte negare, potuisse particulam ab Horatio iterari, quum de sola unius fabri sedulitate diceret, magis tamen Horatianum fuerit id ipsum, quod nos, priore particula omissa, scribendum esse coniecimus.

VI

Redeo ad Fundanium. Eum ut negavimus praeclarum poetam dicendum esse, ita vel propter ipsam garriendi comitatem hominem fuisse haud illepidum iucundumque convivam, facile nobis persuademus. Itaque recte fecit Nasidienus ille (sat. II. 8), qui comitatem in conviva magni aestimabat, quod Fundanium ad famosum illud convivium adhibuit, quum diversissimos homines, at suo tamen in genere eximios convocaret: de eodem enim Fundanio ibi dici, et per se ipsum credibile est, et confirmatur Acronis testimonio. Interrogatus de coena ab Horatio, ‚nunquam in vita sibi melius fuisse' respondet (v. 3), quo ipso saepe cum multis in vita sibi bene fuisse profitetur. Scimus praeterea, illum interdum cum Horatio coenavisse (v. 2); fortasse etiam ad Maecenatis mensam admittebatur, quam parasiticam appellabat Augustus (Suet. vit. Hor.), quamquam non video, quo iure a quibusdam amicus Maecenatis dicatur. Utut est,

hoc pro explorato videtur poni posse, illum, quum divitum hominum conviviis saepe interfuisset, omnes eas cupedias accurate novisse, quibus tunc mensae onerari solebant. Qua de causa equidem non possum credere, Fundanium ea dixisse, quae eum dicentem faciunt codices etiam optimi (v. 25 sqq.):

Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
indice monstraret digito: nam cetera turba,
nos, inquam, coenamus aves, conchylia, pisces,
longe dissimilem noto celantia sucum,
ut vel continuo patuit, cum passeris atque
ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.

Vix enim quicquam puto apponi potuisse a Nasidieno, quod plane ingustatum fuerit Fundanio. Nam prudentissime haec monuit Acron ad v. 1: ‚Nasidienus eq. Rom. in aliis elegans, in enumeratione autem lautitiarum suarum putidus': quos fines quoties excesserunt interpretes, ita ut in ipsis epulis alii alia cavillarentur, toties eos errasse, haud paucis exemplis demonstrari potest. Velut ipso hoc loco negant quidam, usitatum fuisse, ut piscium ilia in conviviis apponerentur. At quis sibi persuaserit, eorum piscium, quorum summa nobilitas erat, non etiam intestina, quae hodie magni aestimantur in piscibus paene omnibus, optima vel, ut loquebantur gulones, ‚edulia' (sat. II. 4. 43) fuisse, quum sciamus, seculo fere post, magis in dies aucta luxuria, ex perbonis etiam et pretiosis piscibus nihil praeter ipsa intestina comedi solitum esse. Docet id Martialis hoc epigrammate (XIII. 84):

hic scarus, aequoreis qui venit obesus ab undis,
visceribus bonus est, cetera vile sapit:

at eundem piscem Plinius n. h. XXXII. 11 sua aetate ‚principalem' fuisse dicit. Itaque nihil fecit Nasidienus, quod cum artis legibus pugnaret, aut Fundanio admodum inexspectatum esse posset. Accedunt alia, quibus suspectum reddatur

illud ingustata. Qui enim dicit, multa coenae alicuius fercula sucum celasse noto dissimilem, idque maxime patuisse in uno aliquo ferculo: is profecto non debet cibum commemorare nunquam a se gustatum, cuius sucum omnino non novit. Eam difficultatem qui ita expedire conantur, ut Fundanium notum sucum eos cibos dixisse existiment, quibus ipse quotidie domi vescebatur, facile intelligitur quam longe a vero aberraverint. Tum utique scribendum erat ‚dissimilem notis', nisi ridicule statuere velis, illum uno et eodem cibo quotidie delectatum esse; ac ne sic quidem quicquam proficimus, quum non de se uno dicat Fundanius, sed de omnibus Nasidieni convivis, inter quos praeter Varium Servilius Balatro et Vibidius erant, Maecenatis amici omniumque, opinor, sucorum, qui quidem boni essent, bene gnari. Unum hoc argumentum ita mihi videtur validum esse, ut pluribus non sit opus. Medela autem qua via quaerenda sit, ostendit illud, quod v. 28 celantia posuit Horatius. Id vocabulum recentiores, Acronem secuti, ita fere interpretantur, ut idem sit atque ‚intra se continentia': dubito num recte. Sed quo plenius eius vis intelligatur, ipsi culinariae artis annales evolvendi sunt. Erat hoc antiquis temporibus gulae proprium, ut ‚omnia nota fastidiret' (Seneca cons. ad Helviam c. 9). Huic satietati ut occurrerent, duas fere vias ingrediebantur, quarum altera maiores divitias, altera artem maiorem requirebat. Qui divitiis abundabant, eam sequebantur rationem, quae eleganti poematio describitur apud Petronium (c. 93):

ales Phasiacis petita Colchis
atque Afrae volucres placent palato,
quod non sunt faciles: at albus anser
et pictis anas enotata pennis
plebeium sapit. ultimis ab oris
attractus scarus, atque arata Syrtis

si quid naufragio dedit, probatur;
mullus iam gravis est.

Illudque studium quum semel exarsisset, quam incredibili diligentia terras mariaque omnia perquirenda curaverint, ut rarissima quaeque et maxime insolita comportarentur, quamque accurate praeceptum fuerit, unde quidque arcessendum esset, satis notum est. Alteri artem adhibebant opum aut vicariam aut adiutricem. Nam quum recte iudicarent, nihil magis novitate excellere, quam ea, quae ipsum naturae modum excederent et ordinem, semel a natura constitutum, migrarent, eo devenerunt, ut alimentorum et suco naturali et forma artificiose mutatis, convivarum exspectationem callide eluderent novitatemque adderent etiam notissimis. Eo in genere praeclarus artifex fuit Trimalchionis coquus, qui ob id ipsum magnopere inter coenam laudatur a domino (Petron. c. 69 sq.). Nam quum positus esset, ut convivae putabant, anser altilis circaque pisces et omnium genera avium, Trimalchio: ‚ita crescam patrimonio, inquit, non corpore, ut ista cocus meus de porco fecit: non potest esse pretiosior homo. volueris: de bulba faciet piscem, de lardo palumbum, de perna turturem, de colepio gallinam; et ideo ingenio meo impositum est illi nomen bellissimum, nam Daedalus vocatur.' Sunt haec sane in maius aucta, at demonstrant tamen, similia non inusitata fuisse: ac ne nunc quidem plane inaudita sunt. Nasidienum autem, hominem Trimalchionis non omnino dissimilem, qui non divitias solum suas, sed etiam elegantiam atque iudicandi subtilitatem convivis probari volebat, eiusmodi artificiis unice delectatum esse, nemini incredibile videbitur, qui Horatii satiram perlegerit. His explicatis, aliter, nisi fallor, interpretabimur illa conchylia, pisces, aves ‚longe dissimilem noto celantia sucum': erat enim non sucus solum eorum artificiose corruptus, sed ipse hic sucus celabatur, quum ne ex specie quidem et forma statim

intelligeretur, quid quidque esset. Formam autem ac speciem alimentorum qui ita mutare volebant, iis aut Daedali Petroniani ingeniosa audacia imitanda erat, quem pinguissimas ficedulas, piperato vitello circumdatas, ovis ex farina pingui figuratis inclusisse legimus (c. 33), aut certe massa aliqua utendum, quibus illa oblinerentur et involverentur, ita ut facile in quascunque formas redigi possent. Itaque quod Fundanius non agnovit optimorum piscium intestina, alioquin bene sibi cognita, hoc mihi videtur in causa fuisse, quod, ipso etiam suco mutato, sub eiusmodi involucro latebant: idque Horatium ita dixisse arbitror:

ut vel continuo patuit, quum passeris atque
incrustata mihi porrexerat ilia rhombi.

Quamquam enim sollenne ea de re vocabulum involvere videtur fuisse, non dubito tamen, quin eodem iure, quo panis crusta dicitur, etiam incrustare dici potuerit, praesertim si illud involucrum paullo durius esset, ut sane duriusculum fuit in Daedali ovis. Ceterum ipsum involvendi morem satis antiquum fuisse, Macrobius testis est, qui Saturn. II. 9 inter fercula coenae pontificum ‚altilia ex farina involuta' commemorat, si sana est lectio.

VII

Constat inter viros doctos, quantum ad Terentianas fabulas recte intelligendas Aelius Donatus contulerit, quum commentario docte atque accurate scripto, quo plerumque et quid scripserit poeta, et quid in scribendo spectaverit, satis probabiliter explicat, tum inprimis adnotationibus iis, quibus ipsos histrionum inter agendum gestus ea diligentia descripsit, ut quid vel concitatius vel remissius olim pronuntiare soliti sint sciamus. Quod igitur, elegantissimas illas fabulas quum legimus, eas non tam legere nobis videmur, quam in

ipsa scena actas spectare, id totum illius adsiduitati rectoque iudicio debemus. Similem si quis olim in Horatii satiris operam collocasset, quarum praecipuum ornamentum est, quod prope absunt ab optimo comoediae genere, opus suscepisset et valde utile et valde difficile. Quae enim de prima Andriae Terentianae scena scripsit Donatus: ‚in hac scena haec virtus est, ut argumenti narratio actio scenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit', ea, ne uno quidem verbo mutato, ad magnam satirarum partem transferre licet: neque recte disputatum fuerit, si quis dicere velit, in satiris, quae ut legerentur scriptae sint ab Horatio, non ut agerentur, nullum gestum admittendum esse, nisi qui ipsis poetae verbis ita postuletur, ut facillime agnoscatur ab omnibus. Est enim in hac re illud tenendum, Italos, ut adhuc gestuum prodigi sunt, ita etiam antiquis temporibus, quod non paucis exemplis demonstrari potest, nutu ac digitis loquacissimos fuisse, multaque etiam in recitando ausos esse, quae nobis, quorum vel ipsi vultus, quum aliquid recitamus, plerumque muti atque immoti manent, nimia ac paene incredibilia videntur. Tali igitur duce, qualis Donatus est, aegre multis in locis caremus: neque tamen mirabimur, nullum exstitisse. Donatus enim praeter ipsam histrionum artem ac disciplinam, iam inde a Terentii aetate quasi per manus traditam, notulas etiam quasdam sequi poterat, quas in antiquissimis codicibus eiusmodi de rebus adscriptas fuisse probabiliter demonstravit L. Schopenus in dissertatione de Terentio et Donato p. 47. Horatii satirae quo recitandae essent modo, a nemine traditum fuisse, et ex antiquis commentatoribus cognoscitur, quos apparet, si quando tale quid monent, eam in rem, quamvis interdum recte disputent, nihil praeter ipsa poetae verba adhibuisse, et per se ipsum credibile est, quum bonorum recitatorum, qualem Vergilium fuisse accepimus, fere tenuior sit proventus, quam histrionum bonorum,

iique raro publice recitent. Neque tamen dubito, quin duobus etiam vel tribus seculis post Horatii mortem aliquanto et plura et meliora de recitandis satiris praecipi potuerint, quam quae passim praecipiuntur ab Acrone et Porphyrione, collegis Donati non plane dignis.

Dicam de duobus locis, quibus illorum opera aut plane nos destituit, aut vel transversos agit: de priore recte iam ab aliis iudicatum est, de altero novi aliquid proferemus. Sub finem eclogae, quae tertia est in altero satirarum libro, fabula illa de rana, quae bovis magnitudinem aequatura magis magisque se inflabat, donec rumperetur, leviter mutata in ipsum Horatium festive transfertur a Damasippo. Ibi hi versus sunt (v. 315 sqq.):

unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
belua cognatos eliserit. illa rogare:
‚Quantane? num tantum', sufflans se, ‚magna fuisset?'
‚maior dimidio.' ‚Num tanto?' cum magis atque
se magis inflaret, ‚Non si te ruperis', inquit,
‚par eris.'

Expressi in exscribendo loco eam verborum inter duas ranas, quae colloquentes inducuntur, divisionem, quae recentissimis editoribus probata est. At quis sibi persuaserit, ranam natu minorem, etiamsi non fuerit ex illo Aristophanis choro, ita tamen plane deliram fuisse, ut bestiam, matre, si minimum dicimus, centuplo maiorem, ea ‚dimidio maiorem' diceret? Ad tollendam dubitationem veteres interpretes nihil conferunt, satis enim habent adscripsisse haec: ‚maior d.] ita ut unum et semis haberet magnitudinis modum'; recentiores, postquam non pauci perverse de toto loco disputarunt, nemo tamen perversius quam P. Burmannus ad Phaedr. I. 24, eo fere conspiraverunt, ut ranam, utpote brutam beluam, certam magnitudinis mensuram novisse negent, idque ad Aesopeorum sermonum libertatem pertinere dictitent. At ista libertas

inepta foret licentia, neque ullum eius exemplum proferunt praeter illam vulpeculam frumento pastam epist. I. 7. 29, quae mihi quidem a Bentleio videtur iugulata esse. Talia quum non debeant pro Horatianis haberi, verum vidisse censeo eos, qui e Cruquii editione pro ‚num tanto' ‚num tantum' receperunt, et illa ‚maior dimidio' ad matrem retulerunt, ita ut ipsa, quum ita se inflasset, ut toto dimidio maior esset, quam antea fuerat, iterum quaesivisse dicatur, num ita aucta ad bovis magnitudinem accederet. Quod qui credere noluerunt, quia plane necessarium existimabant, ut responderetur ad primam matris quaestionem, ii recte disputasse viderentur, si responderi omnino non posset, nisi voce atque verbis: apparet de gestu aliquo cogitandum esse, fortasse de capitis iactatione. Ac neglexerunt iidem, quod aliquanto gravius est, postea, ubi ipse pullus loquitur, eius sermoni ‚inquit' interpositum esse: quo ipso indicari opinor, eum ibi demum loqui incipere, quum antea solo nutu disertus fuerit.

Paullo difficilior alter locus est, at perperam tamen inter desperatos ponitur. Sat. I. 4. 8 sqq. acerbius, ut solet, de Lucilio iudicat Horatius: quem postquam ideo lutulentum fluere dixit, quod morae impatiens nimis in scribendis versibus properasset, ita pergit (v. 12 sqq.):

garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
scribendi recte, nam ut multum nil moror. ecce
Crispinus minimo me provocat: ‚Accipe, si vis,
accipiam tabulas, detur nobis locus, hora,
custodes: videamus uter plus scribere possit.'

De hoc loco quae veteres commentatores scripserunt, eo fere redeunt, ut illa ‚minimo me provocat' e ‚proverbiali consuetudine' ducta esse moneant, cuius interpretatio a gestu repetenda sit: usitatum enim fuisse, ut, qui significare vellet, sive se ipsum sive alium quempiam vel minimo digito tan-

tundem valere, quantum alii toto corpore valerent, is alterum minimo digito provocare diceretur. Ita quin locuti sint, non video cur dubitemus: non facile enim in vulgari proverbio errare poterant grammatici, atque, quae est talium formularum immortalitas, simile quid nunc etiam non raro usurpatur, quum per iocum in minimo alicuius digito plus vel ingenii vel doctrinae inesse dicimus. quam in aliis hominibus totis. Recte tamen fecerunt, qui eam versus explicationem ferendam esse negarunt, quia digiti nulla mentio ab Horatio facta esset: eiusmodi enim ellipsis durissima videtur, quum tam multae res minimae dicantur, ut, nisi explicandi via monstretur ab ipso scriptore, plurimae et maxime variae interpretationes excogitari possint; ac bene monuit Bentleius, hoc quidem loco facilius etiam de minimo pignore cogitari posse, quam de minimo digito. Quid quod tale quid ne tum quidem audere voluit Horatius, quum sermonis ambiguitas aut nulla ex ellipsi oriebatur, aut valde tolerabilis: si enim sat. II. 8. 25 scripsisset haec ‚Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret, indice monstraret', propter ipsum monstrandi verbum nemo non intelligeret, indicem de indice digito explicandum esse; tutius tamen ei visum est ‚indice monstraret digito.' Eandem cautionem ceteri quoque scriptores videntur adhibuisse: Ciceronem enim apparet nihil omnino ausum esse, quum in epistola ad Atticum (XIII. 46 in.) haec scripsit: ‚Pollex quidem, ut dixerat, ad Idus Sext. ita mihi Lanuvii pridie Idus praesto fuit, sed plane pollex, non index'; imo ne potuit quidem aliter scribere. Abiecta igitur loci interpretatione antiquitus tradita, Heinsius Horatium non minimo provocatum esse putabat ab importuno versificatore, sed mimo: id vero quum non ipse interpretatus sit, sed interpretandum reliquerit posteris, recte hi, sua libertate usi, commentum minime probabile reiicere maluerunt, quam in explicando irritam operam collocare. Eo magis permul-

tis Bentleii inventum placuit, elegans illud et admodum speciosum: is enim recte omnia se habitura iudicabat, si pro minimo, ne una quidem lineola mutata, nummo scriberetur, eique coniecturae tantum tribuit, ut omnes, qui vel minimum iudicii haberent, veram Horatii manum in ea agnituros esse confideret. Fateor tamen, mihi eam falsissimam videri. Qui enim alterum, certo aliquo praemio posito, ad certamen provocat, si persuasum habet, ut habuit Crispinus, fieri plane non posse, quin ipse superior discedat et praemium reportet, stultissimus profecto est, nisi operam dat, ut praemium ponatur quam maximum. Sensit id ipse Bentleius: at quae hac de re scripsit: ‚oblique Crispinum tangit, quasi egenum et mendicum, qui non maiore pignore, quam uno nummo, certare voluit', ea non recte procedunt. Quo pauperior enim erat Crispinus, eo magis debebat pignus quam maximum facere, atque qui in certamine non plus quam unum nummum periclitari vult, is profitetur, suis se viribus parum confidere, a qua modestia longissime afuit homo vanus ac stolidus. Eodem argumento et is refelletur, qui minimo, quod in codicibus est, eadem ratione interpretari voluerit, ut de minima pecunia dictum sit, et refellitur quodammodo Acron Fabricianus, cuius disputationem Bentleius egregie emendavit sic: ‚minimo provocare dicuntur hi, qui in sponsione plus ipsi promittant, quam exigant ab adversario.' Haec tamen adnotatio aliam etiam explicationem habet, quae ab hoc loco non plane aliena dicenda foret, nisi ipsa illa formula admodum suspecta videretur: nam nullum eius exemplum superest, ipsaque sententiae vis comparativum, opinor, modum requirit, non superlativum. Equidem Crispinum nullo certo pignore Horatium provocasse existimo, sed solius honoris cupidum fuisse, si poetam a Maecenate probatum scribendi celeritate vicisset, quo artificio plurimum valebat. Itaque locus sic potius emendandus erit:

scribendi recte, nam ut multum, nil moror. ecce
Crispinus numero me provocat: ‚Accipe, si vis,
accipiam tabulas, detur nobis locus, hora,
custodes: videamus uter plus scribere possit.'

Numero enim versuum, non bonitate ille se superiorem fore sperabat.

His explicatis, redeat oratio, unde digressa est. Ut multi in satiris loci sunt, e quibus intelligitur, quam praeclare comici poetae munus tueri potuerit Horatius, ita etiam epistolis nonnulla immiscuit, quae prope absunt a comoedia, artisque, ad quam videtur natus factusque fuisse, exercitationem ne in carminibus quidem plane omisit. Eius rei insigne exemplum est carmen primi libri XXVII, quod totum in actione versatur, ita ut ne intelligi quidem possit, nisi inter legendum e libro in scenam transferatur. Similiter a veteribus de eo carmine, quo cum Barine expostulat poeta (II. 8), iudicatum esse, Acron et Cruquianus commentator docent, qui ipsum carminis initium ‚scenicum' appellant, quoniam intelligatur, praecessisse aliquos sermones, quibus noctem ei Barine iureiurando promiserit. Eodem etiam ultimum primi libri carmen referendum est, quo puerum cursitantem et augendi ornatus causa latentem aliquam rosam anxie quaerentem adloquitur: eaque cum comoedia cognatio in hoc quidem poematio eo maioris momenti est, quoniam unus eius versus, a nemine, ut dicam quod sentio, probabiliter aut explicatus aut emendatus, gestu ad interpretationem adhibito, ne difficilis quidem videtur. Altera igitur stropha sic scripta est in libris (v. 5. sqq.):

simplici myrto nihil adlabores
sedulus curo: neque te ministrum
dedecet myrtus neque me sub arta
vite bibentem.

Dubitavit de scripturae veritate primus, quantum scio, Bent-

leius, et dubitavit rectissime. Quae enim de altero versu scripsit: ‚itane vero? an Horatius tantopere curat, ne servulus praeter mandatum myrto aliquid addat? mirum ni Saturnalia tunc agebantur et servi dominis imperabant', ea nullis adhuc certis ac validis argumentis refutata sunt. Non desunt quidem, qui, veteres commentatores secuti, ‚non curo' idem esse pronuntient, quod ‚nolo': at fundamenta si quaeris, quibus explicationem superstruxerint, aut nulla invenies aut parum firma. Potest dominus sic fere loqui: ‚curabo ne iterum pecces', at ea formula graviter minitantis est et ab huius carminis hilaritate aliena, atque, si recte memini, solo futuro tempore ita utuntur (vid. intpp. ad Phaedr. V. 2. 4). Lucilii autem verba, ad quae nonnulli provocant: ‚Persium non curo legere, Laelium Decumum volo' (Cic. de orat. II. 6. 25), nunquam efficient, ut credamus perinde esse, utrum aliquis se non curare aliquid dicat, an se id vetare. Ille enim, quum scriptores plerumque operam darent, ut a doctissimis quibusque legerentur, ut est sane honorificum doctissimos homines aut docere aut delectare, sibi id curae cordique esse negavit: velle se mediocribus placere. Eamque explicationem veram esse, ipse Cicero confirmat: in primo enim libro de finibus bonorum et malorum, ubi de eadem Lucilii sententia disputat, nullo verbo utitur, in quo imperiose vel vetandi vel iubendi significatio insit, sed illum recusasse dicit, quominus ab omnibus legeretur (I. 3. 7), quamquam hoc etiam vocabulum paullo fortius est. Accedunt alia. Primum enim haec ‚sedulus curo', novi versus initio posita, tam arte inter se cohaerent, ut vix divelli posse videantur, quod recte intellexit Lambinus: hic vero, quum ipsum Horatium ‚sedulo curasse' sibi persuasit, ut Latinitati satisfecit, ita corrupit sententiam: nam quid potest perversius esse, quam dominum non solum curare, ut servus operae parcat, sed etiam sedulo curare? Scio ea verba nuper commate distingui

coepta esse: at eae distinctiones, quae in ipsis carminum numeris insunt, etiamsi furca expellantur, tamen usque recurrunt. Atque ut concedam, invitis numeris haec coniungi posse ‚sedulus adlabores', nihilominus in explicando versu haereo. Adlaborare enim quum dicantur ii, qui in aliqua re multum operae ponant atque in perficienda ea seduli sint, quid dicemus Horatium spectasse, quum eadem re bis dicta ‚adlabores sedulus' orationem oneraret, non ornaret? Possunt similia quaedam apud optimos scriptores, at eosdem copiae in dicendo studiosos, inveniri, velut apud Ciceronem: sed quis non videt, inanem verborum cumulationem omnem alienam esse ab hoc carmine, quod et ipsum brevissimum est, et in simplicissimo argumento versatur? Quae difficultas aucta etiam est ab iis, qui ‚sedulus curae', quam lectionem e Bodleiano libro Bentleius enotavit, vel ‚sedulus cura' scribere malebant, et utramque formulam de curae sedulitate interpretabantur. Ne ea quidem, quae ipse Bentleius disputavit, multo verisimiliora mihi videntur. Quod enim Horatium ita puerum adloquentem facit: ‚simplici myrto nihil adlabores sedulus cura!' id ei lectioni, quam codices optimi tuentur, non multum praestat. Potest enim alicui imperari ut curet, at potest tum demum, quum ad rem perficiendam cura atque diligentia adhibenda est: itaque ut rectissime se habent hae formulae: ‚cura ut valeas' ‚cura ut sint domi parata omnia' ‚cura ne cures' (quod medici praecipiunt) multaeque harum simillimae, ita nescio an plane ridiculum sit, servulum rosas in hortis quaerentem, quum ipsam hanc curam ab eo omitti volumus, his fere verbis dehortari ‚cura ut operae parcas'; ac magis etiam ridiculum erit, quum, coniunctis iis vocabulis, quae vix divelli posse monuimus, eum id sedulo curare iubemus. Quae igitur Bentleius sub finem suae disputationis scripsit: ‚mirabuntur plerique tam conspicuum mendum

tam longo tempore indeprensum latere potuisse', ita vera dicemus, ut ipsum quidem mendum conspicuum esse confiteamur, emendationem vero ab illo propositam non probemus. Ut persanetur locus, mutatione opus est, at lenissima et quae vix mutatio dicenda sit: ita enim Horatium scripsisse arbitror:

simplici myrto nihil adlabores
sedulus cur? o neque te ministrum
dedecet myrtus neque me sub arta
vite bibentem.

Pauca addam ad defendendam emendationem. Possit ea quibusdam parum probabilis videri ideo, quia illud o, quod cum sequentibus debeat coniunctum esse, ipsa caesura cum praecedentibus artius, quam deceat, coniungatur, quo argumento non raro aliorum explicationes impugnat Orellius. At tota hac doctrina de vi, quam caesurae, quae sunt in mediis versibus, ad ipsam versuum sententiam interpretandam habeant, abuti existimo eos, qui, quae rectissime traduntur de Vergilianis hexametris, temere in lyricos Horatii modos transferunt. Nam ut nihil dicam de iis versibus, qui omnino carent caesura, multis exemplis demonstrari potest, illum non dubitasse versus ita incidere, ut, quae artissime cohaerere vellet, tamen caesura distinerentur. Vide modo haec exempla ex solo primo libro non admodum curiose collecta:

o et praesidium et | dulce decus meum 1. 2.
digne scripserit? aut | pulvere Troico 6. 14.
iactes et genus et | nomen inutile 14. 13.
Parthum dicere nec | quae nihil attinet 19. 12.
pestemque a populo et | principe Caesare in 21. 14.
urguet cui Pudor et | Iustitiae soror 23. 6.

Audacius etiam haec scripsit 9. 13 ‚quid sit futurum | cras fuge quaerere', cuius versus sententia plane pervertitur, si quis in interpretando caesuram servare velit. Neque in Sap-

phicis versibus condendis eum hac libertate abstinuisse, vel tria haec exempla docebunt:

o decus Phoebi et | dapibus supremi I. 32. 13.
sospitis centum et | vigiles lucernas III 8. 14.
dum favet nox et | Venus i secundo III 11. 50.

Ultimum pono hunc versum, qui proxime ad eius, de quo disputamus, similitudinem accedit:

sospitum vos o | pueri et puellae III. 14. 10.

Longius etiam progrederer, nisi exemplorum paucitas me retineret. Quum enim ea syllaba, quae proxima est ante caesuram, ubi recitatur versus, paullo magis acui soleat quam ceterae, apte certe Horatium fecisse iudicaremus, si constaret, eum interiectiones, quales sunt o, heu, aliae, illo potissimum loco posuisse. Neque tamen id constare dixerim, quum praeter hunc versum et eum, quem emendavimus, tria tantum exempla invenerim haec:

Aiacem tamen heu | serus adulteros I. 15. 19.
tu frustra pius heu | non ita creditum I. 24. 11.
quo fugit Venus heu | quove color decens IV. 13. 17.

Ad ipsius denique interiectionis o vim ac significationem quod attinet, est illa ex eo vocularum genere, quarum de vi universe vix quicquam praecipi potest, quoniam polypi nimis similes sunt, qui, ut ait Ovidius halieut. 32, ‚sub lege loci sumit mutatque colorem semper ei similis, quem contigit.' Hoc igitur loco mirantis et leviter indignantis est. Quum enim eo, quod interrogaverat ‚sedulus cur?', significasset Horatius, quaesitiore ornatu minime opus esse, puer, quod facit fere id hominum genus, vultuose (quo vocabulo Donatus interdum utitur) vel gestu aliquo oblocutus est: honestum se honestissimi viri servum esse, neque ullo sibi ornatu indignum videri. Tum demum ita pergit dominus: ‚o quid mussitas? scito te servum esse, et me hodie sub arta vite potare, nullo operosiore apparatu adhibito.' Apparet enim

hanc in extremis carminis verbis vim inesse, quum constet, Horatium simplicium quidem munditiarum, at munditiarum tamen amantissimum fuisse.

Alium his locum propter argumenti similitudinem subicere liceat, in quo item scenici gestus mentio fit, quamquam, quod summum in eo est, non est in ipso gestu positum. In praeclara illa satira, qua Tiresias apud inferos cum Ulixe de divitiarum fontibus confabulans inducitur, inter alia praecepta testamentorum captandorum artis hoc ponitur sat. II. 5. 90 sqq.:

difficilem et morosum offendet garrulus ultro
non etiam sileas. Davus sis comicus atque
stes capite obstipo multum similis metuenti.

Ita quum hi versus nunc edi soleant, magna est interpretum de vocabulo ultro dissensio. Alii enim difficili homini eum maxime displicuisse existimarunt, qui ‚ultro garrulus' esset: at rectissime monent alii, garrulum dici eum, qui ultro ineptias effutiat, neque morosi hominis esse, suo iussu quemquam ad blaterandum excitare. Alii igitur garrulum hominem morosum ‚ultro offendere' censuerunt: at qui alios offendit, nisi forte ad id ipsum missus atque instigatus est, vel ab illis provocatur, semper eos offendit ultro, et facile intelligitur, duplex illa exceptio quam ab hoc loco aliena sit. Probabilior eorum opinio est, qui haec ‚ultro non etiam sileas' coniuncta per interrogationem efferenda iudicarunt. Eiusmodi enim interrogatio, quae praecepti vim habet, ‚num exspectabis, donec ille te tacere iusserit? nonne iniussus etiam silebis?' quum per se ipsa satis apta videatur, non facile plane refelli posset haec Marcilii sententia, nisi fundamento niteretur parum firmo, de quo mox videbimus. Reiecta tamen ea, nova conatus est Orellius, qui hac loci circuitione utitur: ‚neque vero tu alio tempore, cum ille tecum colloqui volet, sine ulla causa taciturnus sis, quasi taedio

affectus aut ira percitus.' Apparet, opinor, quam multa de suis Horatio largitus sit vir clarissimus, ac ne sic quidem effecit, ut omnia recte cohaereant: illa enim interpretatio, a qua prope absunt, quae apud Acronem leguntur, non male respondet praecedenti versui ‚neu desis operae neve immoderatus abundes'; at non video, quorsum tum spectet exemplum a comoedia sumptum. Davum certe, qui, quum metu exanimatus esset, obstipo capite immotus stabat, quavis statua taciturniorem fuisse credo, non moderatum atque iucundum congerronem. Denique qui ‚ultro silere' vetatur, is, si dicto audiens est, nullum loquendi finem faciet, priusquam silentium imperatum sit, quod ipsum maximum est garrulitatis documentum. Non erat profecto, cur interpretes in illa vocula tantum operae consumerent. Quod enim Orellius ultro in optimis libris esse pro certo affirmat, errat magnopere, quum Cruquius in quattuor Blandiniis codicibus non ultro invenerit, sed ultra. Quam lectionem qui, ipsum Cruquium secuti, ita interpretantur, quasi ‚ultra garrulus' is dicatur, qui ultra modum garriat ac blateret, eodem nomine peccant, quo quosdam alterius lectionis patronos peccasse vidimus: garrulum enim neminem vocamus, nisi qui ultra modum disertus sit. Neque tamen dubito, quin ultra scriptum fuerit ab Horatio: corruptelam in iis latere existimo, quae proxime sequuntur, non gravem, opinor, atque sanabilem, dummodo meminerimus, mortuum hominem verba facientem induci, totumque carmen Homericae *νεκυίᾳ* continuari. In *νεκυίᾳ* autem mortuorum ea conditio est, ut admissi demum ab Ulixe ad sanguinem bibendum mentem ac sermonem recuperent. Unus, si ab ipso Tiresia dicesseris, Elpenor est, qui non potus cum illo colloquitur, at id et veteribus ita mirum est visum, ut Elpenoris illud privilegium fuisse dicerent, quoniam sepultus nondum fuisset (scholl. ad λ 51), et ita offendit doctissimum virum meumque, dum in vivis fuit

amicum, Iul. Franc. Lauerum, ut, reiecta illorum sententia, totum de Elpenore locum ab imperito interpolatore Homericis interpositum iudicaret in quaestione Homerica prima p. 20 sqq. Soli Tiresiae a Proserpina concessum erat, ut inter vanas atque inanes umbras ratione vigeret (Od. κ 494). Itaque adloquitur Ulixen a se agnitum λ 92: at priusquam vaticinari incipit, ipse quoque sanguinem potat v. 96. Recte igitur videtur scholiastes haec ad λ 51 scripsisse: *ὁ Τειρεσίας πίνων τοῦ αἵματος ἐμαντεύετο, αἱ δὲ ἄλλαι ψυχαὶ πίνουσαι ἐπεγίνωσκον*: Buttmanni enim coniectura *αἵ τε* nescio an corrumpatur sententia, non emendetur. Eam tamen diligentiam, quae laudabilis est in grammatico, in poeta nemo facile requiret, ac suo iure usus est Horatius, si, neglecta illa distinctione, mortuos omnino omnes sermone carentes fecit, nisi quando Ulixes aliquis ad inferos descenderet. Itaque Blandiniorum codicum auctoritate fretus haec Horatium scripsisse coniicio:

difficilem et morosum offendet garrulus: ultra
nos etiam sileas, Davus sis comicus atque
stes capite obstipo multum similis metuenti.

‚Ultra mortuos silere' quid hoc loco sit, facile est ad intelligendum, quum nove fortasse, at recte et ingeniose locutus sit poeta. Tacent enim illa *νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα*, at tacent cum gravitate ac maiestate: Ulixi ad servile atque abiectum Davi silentium descendendum est. Haec denique ‚capite obstipo' recte mihi videtur A. Terentius Scaurus interpretatus esse, quem ‚divi Hadriani temporibus grammaticum vel nobilissimum' fuisse, Gellius testis est XI. 15. 3. Nam ad illum, quem commentarois in artem poeticam scripsisse constat, non dubito quin referenda sint, quae Cruquianus commentator habet: ‚obstipo] fixo, immobili, tristi, vel, ut Scaurus dicit, inclinato in alterum humerum.' Ac Scauri auctoritate etiam Porphyrio hic usus est: quae enim nunc in eius com-

mentario leguntur: ‚obstipo] tristi ac severo. Secus inclinato dicet', ea quis non vidit ita corrigenda esse: ‚Scaurus inclinato dicit'? Falsum igitur est, quod Kirchnerus scripsit in nov. quaestt. Horatianis p. 60, Scauri neque apud Acronem neque apud Porphyrionem ullam mentionem fieri.

VIII

Maecenatem quantopere non solum coluerit et observaverit, sed etiam dilexerit carumque habuerit Horatius, ipse ab epodon initio usque ad primam primi libri epistolam tam saepe professus est, ut, si quando de iis iocatur, quae ne illum quidem admirabilem alioquin virum humana infirmitate caruisse demonstrant, talium locorum recta interpretatio ex ipsa demum hac amoris ac pietatis professione sit repetenda. Miror igitur magnopere, adhuc ferri potuisse, quae codices exhibent in illo carmine, quo amicum ad Martias calendas secum celebrandas invitat (III. 8 25 sqq.):

neglegens ne qua populus laboret
parce privatus nimium cavere.

Haec enim ut longe absunt ab ioco, ita, ut nunc leguntur, acerbitati sunt propiora. Vertitur rei cardo in primo statim vocabulo, quod est neglegens. Id ut explicarent, recentiores interpretes antiquissimorum vestigia legerunt: nam quum dicunt certatim, negligentem hic eum dici, qui alias securus dicatur, repetunt ea, quae et Acron attulit et Cruquii commentator. Ille enim haec habet: ‚quod pro securitate posuit, quia non timeret, ne qua respublica parte laboraret'; hic brevius: ‚negligens] securus.' Non est cur accuratius dicamus, quam suspecti sint isti Latinitatis auctores, quum hoc quidem loco ipsi paupertatem sibi suam fatendo leviorem fecerint. Quod enim addit uterque, ‚e contrario' Vergilium Aen. I. 354 securum posuisse pro negligente, id, puto,

non addidissent, nisi sensissent ipsi, audacem illam explicationem esse et a communi usu remotam. Erat interpretum, eam lacunam explere: at nullum illi exemplum invenerunt, quo collegis subvenirent, et vereor omnino ut ullum inveniri possit, quum ipsa vocabuli vis et natura conatum impedire videatur. Possumus negligendo et laudem merere et in reprehensionem incurrere: nunquam autem utuntur eo verbo scriptores in ordinem recepti, nisi adiunctam habeat aliquam contemptus significationem. Vituperamur igitur, quum leges, officia, amicos negligimus; contemnimus enim ea, quae sancta sunt ac pie observanda: laudamur, quum aut divitias negligimus, aut mortem atque pericula; ingenua enim quadam superbia elati despicimus, quae ab aliis aut expetuntur studiose aut anxie fugiuntur. Nolim in re satis obvia exempla congerere, quamquam scio, quod fere fit in eiusmodi observationibus, esse nonnullos locos, ubi lenior et mollior significatio in negligentia inesse videatur: at ii tamen, quos equidem novi, strictiorem illam explicationem vel admittunt vel postulant. Quodsi unus alterve supersit, qui a peritis harum rerum Acroni patrocinari iudicetur, hoc, nisi fallor, apparet, Horatio hoc quidem loco abstinendum fuisse a tam non boni ominis vocabulo: civili enim ingenio, quale fuit Maecenatis, quid potest intolerabilius videri, quam vel levissina contemptus ac superbiae suspicio, quum de civium cura atque salute agitur. Atque augetur huius argumenti pondus ipsa verborum coniunctione. Ex quo enim Bentleii interpretatio, qui posteriorem versum ad privatam Maecenatis suis de rebus curam rettulerat, iure, ut opinor, repudiata est ab editoribus, quoniam anxium domesticae rei studium ab illius et dignitate et natura alienum videtur, nihil superest, nisi ut agnoscamus, participium verbi, nullo neque verbo neque nomine addito, pro adiectivo, ut ita dicam, positum et cum imperativo, qui subsequitur, coniungendum esse. Ita autem quum ponitur, acriorem etiam

vim nanciscitur, quam quae inest in eo verbo, unde originem habet: confidenter enim negaverim, quemquam simpliciter negligentem dici, nisi cum vituperatione. Possit quidem alicui in mentem venire, non Maecenatis negligentiam culpari, sed ipsius populi, qui laboret propterea, quod rebus suis parum prospiciat: at recte tamen suo sensui obtemperarunt interpretes, qui, si recte memini, in illam explicationem ne inciderunt quidem. Nam iniquum profecto est, vituperare aliquem, quod ea non adhibeat, quae ipsi extorta sunt: neque omnino Maecenatis cura opus fuisset, si licuisset civitati, gravioribus in rebus suo arbitrio uti. Quare quum certissimum sit, Horatium longe afuisse a reprehensione Maecenatis, quaerendum erit, num a librariis sit id, quod in poeta non videtur ferri posse. Quorum error ut exploretur, res ipsa accuratius est examinanda. Ac mihi quidem ea demum videtur nimia cautio esse, quum cavemus ne eveniant ea quibus iam satis occursum est sive a nobis ipsis sive ab aliis. Hoc igitur dicendum erat Horatio, ita omnia provisa esse, ita nihil deesse populo, ut nulla tunc privatorum opera ad eius salutem opus esset, ne potentissimorum quidem. ‚At fecit id ipsum', inquiunt interpretes, ‚dixit enim in iis, quae proxime antecedunt, nullum a Dacis, Medis, Cantabris, Scythis periculum imminere.' Quasi vero civitati praeter externa arma nihil mali extimescendum fuerit. An ignoramus, rei frumentariae inopiam non modo per ferreos illos annos, de quibus copiose scripsit Ammianus Marcellinus, multarum et gravium turbarum causam fuisse, sed Augusti etiam aetate similia plus semel minitatam esse (Suet. Aug. c. 25)? an ulla est publica calamitas, ad quam aut praecavendam aut leniendam plus conferri possit a privatis? Non credo igitur, Horatium hoc loco id omisisse, quod neque debebat omitti, neque in similibus versibus ab ipso omissum est epist. I. 12. 25: imo, sublato intolerabili illo vocabulo, ita eum scripsisse arbitror:

nilo egens ne qua populus laboret
parce privatus nimium cavere

Egere quum apud Horatium et cum genitivo et cum ablativo casu coniungatur, nihilo autem quum ita semper ab illo positum sit, ut aut possit disyllabon haberi aut debeat, ab hac quidem parte nihil videretur coniecturae nostrae obstare, nisi prudenter esset a Maur. Hauptio in observv. critt. p. 18 sq. monitum, longae vocalis cum brevi copulationem, satis frequentem illam in satiris neque valde raram in epistolis, perraro comparere in carminibus. At ipsa illa duo carmina, quae tria eius elisionis exempla suppeditant, in eodem hoc tertio libro ab Horatio sunt posita (III. 4. 5.): quumque Hauptius probabiliter, ut puto, in quinti carminis v. 21 sq. ‚arma — derepta vidi, vidi ego civium retorta tergo brachia libero' sollennem quasi quandam formulam agnoscere sibi videatur, in duobus quarti carminis versibus 17 et 31:

ut tuto ab atris corpore viperis
tentabo et arentes arenas

utrobique eadem longa vocalis eliditur, cuius elisionem in octavum eiusdem libri carmen intulimus. Hauptius autem quum longius etiam progrediatur et istum duorum carminum consensum inde repetat, quod utrumque secundum accuratam Caroli Franckii computationem (Fasti Hor. p. 188 sqq.) eodem fere tempore i. e. circa annum u. c. 728 scriptum sit, videamus, num illuc quoque comitari liceat virum praestantissimum. Erit igitur attingendum nobis, quod a multis quaesitum est, quo tempore aut quo iure Maecenas ab Horatio privatus appellari potuerit. Atque hoc quidem vix videtur dubitari posse, quin ille praefectus urbi nunquam fuerit. Nam quum apud Tacitum Ann. VI. 11 nomina eorum legamus, qui per quinque fere lustra urbis praefectura functi sunt, nullus ibi locus Maecenati conceditur: neque Cassius Dio Maecenatem Octaviano suadentem fecisset (LII. 21), ut

sumeret praefectum urbi ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων, si scivisset, illi, quem angusto clavo contentum vixisse constat, ipsum hoc munus delatum fuisse. Aliud plane negotium, idque aliquanto gravius, illi iniunctum fuit ad tempus: erat enim civilibus bellis — Taciti verbis utor — cunctis apud Romam atque Italiam praepositus. Eo munere quo anno fungi coeperit, non videtur definiri posse. Dio certe ubi de anno u. c. 718 disserit (XLIX. 16), nihil ea de re dicit, nisi Maecenatem καὶ τότε καὶ ἔπειτα ἐπὶ πολύ urbis atque Italiae rebus praefuisse: hoc paullo confidentius posuerim, magnam hanc eius et vix civilem potestatem non ita diu post Actiacam pugnam aut valde imminutam aut plane sublatam esse, ita tamen sublatam, ut is, qui consiliorum Augusti et socius et auctor esset, eadem auctoritate etiam in posterum floreret. Id ex ipsis Dionis verbis effici crediderim: nam ubi exponit de iis, quae post Actiacam victoriam evenerunt (LI. 3), vix dixisset, urbis Italiaeque curam etiamtum penes Maecenatem fuisse (καὶ τότε-προσετέτακτο), nisi significare voluisset, hunc rerum statum paullo post immutatum esse. Plus etiam ipsi rerum naturae tribuerim: quis enim sibi persuaserit, Octavianum, quum semel rerum potitus esset et rempublicam ordinare novisque institutis temperare coepisset, diu eiusmodi participem et paene collegam imperii aut ferre aut certe palam ostendere potuisse? Quid quod ipsa praefectura urbana, quam scimus illo fere tempore institutam esse, ne cogitari quidem potest, nisi hanc negotiorum eius partem a Maecenate quasi haereditate ad alios pervenisse statuimus. Sunt haec omnia tam perspicua atque tam bonis auctoribus confirmata, ut vix intelligatur, qui tam multi ea in re errare potuerint. At viam illis munivit Velleius: qui quum dicit II. 88, Actiaco bello finito Maecenatem urbis custodiis praepositum esse, quin urbis praefecturam, illo auctore institutam,

illamque urbis Italiaeque curam temere miscuerit, in tanto Taciti atque Dionis consensu non videtur dubium esse: neque id magnopere mirabimur in eo, quem ingenio fretum in scribendo nimis properasse scimus. Multo magis mireris, eadem in re lapsum esse Carolum Lachmannum, *ἄπτωτον* illum etiam in minutissimis: qui quod scripsit in praeclara illa ad Franckium epistola (Fast. Hor. p. 240), Italiae et urbis Romanae curam Maecenati post pugnam Actiacam commissam esse, id refutatur iis Dionis ac Taciti locis, quos modo commemoravimus, et rectius fortasse scripsisset, eodem tempore illa cura liberari coeptum esse virum pacis et tranquillitatis amantissimum. Invitus hoc moneo, non ut impie violem Manes summi philologi meique olim magistri, sed ne tanti hominis auctoritas, ut mihi diu fraudi fuit, ita alios etiam transversos agat. His ita explicatis, apparet, Horatium, si iure suo uti volebat, nullo tempore Maecenatem non potuisse privatum appellare: nam ne in ipsam quidem Italiae et urbis praefecturam m a g i s t r a t u s vocabulum cadere, si quidem accurate loqui velimus, satis intelligitur e Digestorum tituli, qui est ‚de origine iuris et omnium magistratuum et successione prudentium' (I. 2) sectione 33, ubi haec sunt: ‚praefectus annonae et vigilum non sunt magistratus, sed extra ordinem utilitatis causa constituti sunt.' At decuisse Horatium suo hoc iure uti, negat et pernegat Dacerius. Recte is quidem pro illius seculi captu; quotidie enim Ludovici XIV. purpuratos ante oculos habebat: nos, moribus in melius mutatis, vidimus quosdam, qui in summa auctoritate ac dignitate nihil tamen malebant, quam privati aut esse aut videri: atque talem fuisse Maecenatem, omnis eius vita clamat. Neque vero quisquam facile negaverit, longe aptius Horatium eo vocabulo uti potuisse tum, quum ille, omni etiam specie magistratus exuta, publicarum rerum administrationem totam Octaviano concessisse videbatur, neque erat profecto cur

vereretur, ne ea appellatione de amici auctoritate quicquam detraheret, quum ex ipso carmine perspiciatur, privatum hominem, qui eiusmodi curis sollicitabatur, non fuisse unum de multis. Revolvimur hac disputatione eodem fere, quo pervenit Lachmannus, qui carmen anno u. c. 725 scriptum esse statuebat, nisi quod probabilius nobis videtur, esse illud uno vel duobus annis post ad Maecenatem missum. Quod qui credibile iudicabit, idem hoc etiam intelliget, illam elidendi licentiam, a qua profecti sumus, ab ipsa temporum ratione aliquam aut excusationem habere aut defensionem.

Si recte se haberent, quae nunc edi solent, peius etiam cum altero amico egisset Horatius, minus illustri illo, at amico tamen: quis enim est, quin negligentiam sibi exprobari malit, quam in ullam furti atque improbitatis suspicionem incurrere? Scripsit, si libris obsequimur, in primi libri epistola duodecima ad Iccium haec v. 1 sqq.:

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
si recte frueris, non est, ut copia maior
ab Iove donari possit tibi: tolle querelas.

Ad eundem hominem quum scriptum exstet carmen primi libri undetrigesimum, possumus aliquam de eius moribus coniecturam capere. Fuit igitur ex eo hominum genere, quorum non una et constans est natura, sed varia et secum ipsa discors, ita ut incerti inter diversissima quaeque fluctuent, et plerumque aut sperent nimis aut desperent. Itaque quum magnam in divitiis felicitatem positam existimaret, idem tamen intellexerat, non spernendas esse divitias eas, quae in philosophiae studiis inessent. Acriter igitur haec studia arripuit; at quum putaret, posse se divitem ex oriente reverti, si cum Aelio Gallo ad bellum contra Arabas gerendum proficisceretur, priore illa spe aut abiecta aut certe omissa, illuc se convertit. Aliquot annis post bellicosus homo in Sicilia ‚fructus colligit', et ut antea fluctuaverat, ita nunc etiam

inter utramque spem suspensus tenetur, ita ut modo in sapientiae studiis conquiescere studeat, modo relabatur ad querelas de rerum suarum tenuitate aut certe mediocritate: constat enim, paupertatis vocabulum quam late pateat. Quae quum ita sint, non dubitabimus, quin magna ridendi materies in Iccio fuerit; foeda illum avaritia laborasse abiectumque hominem fuisse negabimus, neque imitabimur perversum quorundam morem, qui Horatii amicos ita describunt, ut alii Catones fuisse videantur, alii Catilinae. Haec, etsi inaudita non sunt, eo tamen consilio copiosius exposuimus, ut intelligeretur, omnia optime inter se cohaerere recteque procedere, nisi permira illa Agrippae commemoratio accederet. Videamus quid traditum sit a veteribus. Porphyrio haec habet: ‚hic autem Iccius procurator Agrippae est constitutus, cui agrum suum commendavit.' Acron epistolam scriptam dicit ‚ad Iccium procuratorem Agrippae in Sicilia constitutum', quae eadem totidem verbis apud Cruquianum commentatorem leguntur. Iam quid habemus? procuratorem qui admonetur ab amico, ut recte domini fructibus utatur, recte inquam, quum appareat, id non potuisse fieri, nisi per furtum atque fraudem. Procurator enim, etsi paullo honestius a domino tractabatur quam villicus — mandabatur procuratoribus, villicis imperabatur (Cic. de or. I. 58) — hoc tamen et cum villico et cum tota familia rustica commune habebat, quod, quum domini vicarius esset, totus pendebat ex domini nutu, suaque mercede accepta, reditus omnes domino tradebat. Quid quod procuratorum officia et dominorum iura atque privilegia ita inter se descripta fuerunt, ut philosophis etiam suis disputationibus exempla inde petita interponere licuerit. Ita M. Annaeus Seneca in libello, de brevitate vitae, quum demonstrare vult, versari homines in continua curarum et sollicitudinum serie, neque unquam plane otiari, hoc etiam ponit c. 17: ‚alienorum bonorum mercenaria procuratione

consenuit? suis opibus detinetur.' Idemque in epistola 14 extr. clarius etiam demonstrat, procuratorum non fuisse dominorum bonis uti atque frui: dicit ibi de avaro: 'oblitus est usus, rationes accipit, forum conterit, calendarium versat, fit ex domino procurator.' Iam quis non videt, ea, quae a scholiastis traduntur, nequaquam ita comparata esse, ut ad Horatiani versus interpretationem sufficiant, imo inesse in iis, quod magnopere offendat eos, quibus huius poetae non carmina solum, sed mores etiam probantur? Circumspicientibus quid faciendum sit, tria maxime occurrunt: potest in illis aliquid mutari, potest aliquid insuper addi, potest denique tota scholiastarum narratio ficta et falsa iudicari: quorum ut mihi quidem hoc, quod postremum posui, unice probatur, ita priora optimos patronos habuerunt. Dacerius igitur de procuratore cogitandum esse negavit: conduxisse Iccium Agrippae praedia ea lege, ut illi certam pecuniam quotannis solveret, in ceteris sui iuris esset. Cui coniecturae, prima specie non improbabili, cum ipsis Horatii verbis non videtur convenire: Iccius enim, si conductor fuisset praediorum, fructus collegisset in agris vel in arvis Agrippae; ipsi vero fructus non fuissent Agrippae. Alii ac potissimum recentiores retinent procuratorem, Agrippaeque liberalitatem magnopere extollunt: 'licuisse Iccio e reditibus praediorum tantum sibi sumere, quantum vellet, magnis enim in opibus cessare accuratam diligentiam', eaque tam confidenter ponunt, quasi certa et plane explorata sint. Non est cur copiosius dicamus de commento minime credibili. Aliquanto prudentius egerunt, qui Agrippam atque Iccium hoc inter se pactos esse statuebant, ut dominus certum aliquem redituum fructuumque omnium modum exigeret, procuratori si quid superesset, id ipsius proprium haberetur. Eiusmodi pactiones num omnino usitatae fuerint, non dixerim: haud plane inauditas fuisse, ex iis colligere posse mihi videor, quae apud

Varronem de re rust. III. 6 narrantur de Seio, qui a procuratore ternos pavonum pullos exigebat. Est tamen, quod huic quoque explicationi obstet. Decebat, opinor, in epistola ad unum quidem hominem scripta, sed edita eo consilio ut a quam plurimis legeretur, speciem etiam malam vitare: aut demonstrandum igitur erit, quod adhuc demonstratum non est et pugnare quodammodo videtur cum Senecae locis supra laudatis, eas pactiones, quas modo diximus, ita usitatas fuisse, ut etiam qui Ulubris vel Ilerdae epistolam legeret, versum illum ne posset quidem sinistre interpretari, aut magnopere dubitabimus, an illud quoque speciosius sit excogitatum quam verius. Atque fateor tamen, me quoque in hanc sententiam pedibus iturum esse, quum persuasum mihi erit, veteres interpretes paucula illa, quae de Iccio Agrippae procuratore tradunt, ex eorum commentariis sumpsisse, qui non ita diu post poetae mortem de personis Horatianis videntur scripsisse. Ita quominus statuam, Acron me impedit, qui post ea, quae supra exscripsimus, haec addit: ‚alii dicunt, quod agros illi in Sicilia donaverat Agrippa': accedit Cruquianus commentator, qui eadem habet, nisi quod non allios ita dixisse ait, sed aliquos.' Perspicuum fit ipsa hac opinionum diversitate, ne veteres quidem quicquam certi de Iccio traditum accepisse, totamque rem iam tunc in coniectura ipsaque illius versus interpretatione positam fuisse. Eo autem modulo quum varios interpretum conatus metimur, nullus ea probabilitate excellere videbitur, a qua sola commendationem habent coniecturae: scioque, non me solum ita sentire, sed alios etiam, quorum iudicium in eiusmodi rebus meo anteponere soleo. Novi igitur aliquid quum quaerendum sit, multum equidem versui huius epistolae 26 tribuerim. Nam quod aiunt, Agrippam ibi priore loco ante Claudium Neronem appellatum esse, quoniam Iccii patronus fuerit, id quidem leve est, quum aliae complures explicationes in

promptu sint: at cui non videatur plane incredibile, aut Iccium de fortunarum suarum auctore tam non sollicitum fuisse, ut de eius ex Cantabris reportata victoria primum ab Horatio nuntium accipere potuerit, aut Horatium non aliquid additurum fuisse nudo summi viri nomini, quo illius pietati satisfaceret? Scimus praeterea Iccium in Siciliam, illam frumentariam urbis cellam, ideo se contulisse, ut divitias certe mediocres colligeret. Id qui faciebant — fecisse autem haud paucos et honestos quidem cives Romanos, Cicero multis Verrinarum locis significat — ii fere non aliorum praediis praeerant, sed arabant ipsi, et coniungebat cum agricultura mercaturam frumentariam. Quodsi statuimus, Iccium, horum exempla quum sequeretur, delituisse vel rure vel in parvo aliquo oppidulo, quoque minus contentus erat suarum curarum proventu, eo magis operi intentum fuisse, atque, si quando respirare vellet, non tam ad ea, quae tunc foris gerebantur, se convertisse, quam ad sapientiae studia, in quibus olim totus habitaverat: intelligitur, et Horatium recte fecisse, quum amico breviter aliquid de Cantabris, de Armeniis, de Parthis, de frugum per Italiam proventu nuntiaret, et omnia haec non inter se solum ipsa rectissime cohaerere, sed cum iis etiam, quae supra de Iccio diximus, in orbem quasi quendam coire, aegerrimeque feremus unum illud primi versus vocabulum, quo turbatur haec aequalitas. His de causis persuasum mihi est, corruptelam aliquam latere in Agrippae nomine, quod facile e v. 26 in primum inferri potuit: quumque nihil per se ipsum probabilius videatur, quam obscuri alicuius oppiduli nomen ibi clariori nomini cessisse, coniicio Horatium non scripsisse: Fructibus AGRIPPAE — sed:

Fructibus ACRILLAE Siculis, quos colligis, Icci.

Oppidum istud, non ita longe a Syracusis situm, Livius Acrillas appellat (XXIV. 35), at idem recte etiam singulariter Acrillam dici, Stephanus Byz. docet, qui p. 63 Mein.

haec habet: Ἄκριλλα, πόλις Σικελίας οὐ πόῤῥω Συρακουσῶν. τὸ ἐθνικὸν Ἀκριλλαῖος, ὡς Ἄγυλλα Ἀγυλλαῖος. Denique Siculis quod addidit Horatius, quum ipsum Siculi oppidi nomen posuisset, non mirabuntur qui meminerint, eum poetam, qui se quum ubique terrarum, tum per omnem futuri temporis perpetuitatem lectum iri speraverit, iis etiam prospicere debuisse, qui de Acrilla nihil quicquam audivissent.

IX

Secundi libri satira tertia tota versatur in explicando Stoicorum paradoxo ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται, quod quartum est apud Ciceronem. Id priusquam argumentis confirmare exemplisque illustrare incipit Damasippus, ipsum ita ponit v. 43 sqq.:

quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri
caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
autumat. haec populos, haec magnos formula reges
excepto sapiente tenet:

idemque praeceptum repetit, ita tamen ut novi aliquid addat, v. 220:

ergo ubi prava
stultitia, hic summa est insania; qui sceleratus
et furiosus erit.

Utramque sententiam ab ipsis illius sectae philosophis mutuatus est poeta, nullo vocabulo neque addito neque in aliam vim detorto. Stoicis enim, quum et sapientiam et virtutem omnem in recta ratione ponerent, quisquis quacunque in re vel tantillum discederet ab eo, quod sapientia et virtus postularent, insanus videbatur, ut qui ratione vel careret, vel non uteretur. Itaque eum etiam, quem plerique sceleratum vocabant, maluerunt insanum dicere: sapiens enim si fuisset, nunquam potuisset a se ipso degenerare et virtutem

deserere. Haec quum satis plana atque aperta sint, duos tamen in eo carmine locos mihi videor invenisse, ubi ea, quae ab ipso Horatio scripta ferunt, a librariis corrupta sunt, qui Stoicorum doctrinae parum vel periti vel memores erant. Dicam prius de v. 208 sqq.:

qui species alias veris scelerisque tumultu
permixtas capiet, commotus habebitur, atque,
stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.

Post multas et varias virorum doctorum de hoc loco disputationes hoc mihi videtur constare, veris, quod habet antiquissimus cod. Blandinius, retinendum, et hanc formulam alias veris ea ratione explicandam esse, quae monstratur adnotatione in eodem illo libro adscripta: ‚contrarias veritati.' Atque ita nunc statuunt plerique, recte improbata eorum opinione, qui de ‚veri scelerisque tumultu' cogitabant, eoque posito, illas species alias admodum contorte et obscure interpretabantur. At restat maxima difficultas: hoc enim loco sceleris tumultus quid sit, quantum equidem video, intelligi plane non potest. Comparat enim Damasippus Agamemnonem cum Aiace: hunc neque Ulixen, neque Menelaum, neque e suis quemquam trucidasse, sed in sola pecora saeviisse; Agamemnonem ne ipsi quidem filiae Iphigeniae pepercisse: itaque Aiacem insanum fuisse neque tamen scelus commisisse ullum, Agamemnona scientem nefario se scelere polluisse, quo ipso se furiosum esse ostenderit. Furiosum se fuisse, quum neget Agamemnon, ipsis illis versibus ei respondetur, quos exscripsimus. Apparet igitur, eos non ad solum Agamemnonem spectare, sed ita positos esse, ut ad utrumque hominem referri debeant, recteque Cruquianum commentatorem haec scripsisse: ‚nihil interest, utrum quis per stultitiam erret, ut Agamemnon in filia, an per iracundiam, ut Aiax, qui pecus stravit.' Iam intelliges, opinor, sceleris vocabulum a toto loco alienum esse, quum etiam de Aiace

dicatur, qui sceleratus non fuit. Deinde nullus adhuc interpres ipsa verba ‚sceleris tumultus' probabiliter explicuit, quantumvis iam inde ab antiquis temporibus se torserint. Tumultum enim recte interpretantur omnes, quum perturbationem fuisse dicunt: idque facile perspici poterat quum ex hoc ipso loco, tum e carm. II. 16. 9 ‚non enim gazae neque consularis submovet lictor miseros tumultus mentis et curas laqueata circum tecta volantes': sceleris quid esset, nemo expedire potuit. Nam quod Orellius disserit de mentis conturbatione, quae facillime vel ad scelera committenda nos abripiat, id, puto, philosophari est, non interpretari: quis enim non videt, nullis machinis talem aliquam sententiam e duobus illis vocabulis extorqueri posse? ac ne valuit quidem tantum in Aiace mentis perturbatio, ut sceleratum eum redderet. Mihi ab ipsis Stoicis corruptelae satis, nisi fallor, apertae medela videtur repetenda esse. Illi enim animi perturbationes omnes ad mentem et cogitationem referebant: ea si turbata esset, animum etiam hominis aegrotare docebant. Ipsa, ut videtur, magistrorum verba a Diogene Laertio servata sunt hoc loco VII. 63. 110: *ἐκ δὲ τῶν ψευδῶν ἐπιγίγνεσθαι τὴν διαστροφὴν ἐπὶ τὴν διάνοιαν, ἀφ' ἧς πολλὰ πάθη βλαστάνειν καὶ ἀκαταστασίας αἴτια*: planius, ut solet, Cicero Tusc. IV. 7. 14: ‚sed omnes perturbationes iudicio censent fieri et opinione; itaque eas definiunt pressius, ut intelligatur, non modo quam vitiosae, sed etiam quam in nostra sint potestate.' Quare si de tumultu dicere volebat Horatius, qui conceptas opiniones temere permisceret atque efficeret, ut eiusmodi homo commotus habendus esset, debebat mentis et cogitationis tumultum dicere. Scripsit igitur:

qui species alias veris cerebrique tumultu
permixtas capiet, commotus habebitur.

Cogitationem autem quod in cerebro collocavit, in eo dissentit aliquantulum a Stoicis, quos docuisse scimus *ἡγεμονικὸν*

εἶναι τὸ κυριώτατον τῆς ψυχῆς, ἐν ᾧ αἱ φαντασίαι καὶ αἱ ὁρμαὶ γίνονται, καὶ ὅθεν ὁ λόγος ἀναπέμπεται· ὅπερ εἶναι ἐν καρδίᾳ (Diog. L. VII. 86. 159): ac propius ad eorum doctrinam accedunt ea, quae paullo post v. 213 scripsit: ‚et purum est vitio tibi, quum tumidum est, cor?' Neque tamen quisquam mirabitur, eum, ut variaret orationem, cerebrum posuisse, praesertim quum nulla certa de causa eodem plane modo loquentem fecerit Stoicum v. 74 sqq.:

si male rem gerere insani est, contra bene sani,
putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli.

Alter locus hic est v. 277 sqq.:

Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
cerritus fuit? an commotae crimine mentis
absolves hominem et sceleris damnabis eundem,
ex more imponens cognata vocabula rebus?

Spectant haec ad eandem Stoicorum doctrinam, de qua adhuc disputavimus. Marius enim quod, puella interfecta, mortem sibi consciverat ipse, non erat commotae mentis crimine absolvendus: vidimus enim supra, perturbationes debere in nostra potestate esse. Erit idem sceleratus dicendus iis, qui in iudicando communem loquendi consuetudinem sequuntur, quod est vulgi. Qui vero in his etiam rebus philosopho acumine utuntur et ad causas rerum penetrare didicerunt, non abutentur vocabulis, neque sceleratum dicent, qui potius cerritus atque insanus fuit. De universi igitur loci sententia non potest dubitari: at largissima dubitandi materies posita est vel in hoc uno verbo cognata. Id quod ita interpretatur Cruquianus commentator, ut cognata dicat idem esse quod apta, recte iam dudum ipse non apte dixisse iudicatus est: at permultis unice placuit Acronis adnotatio haec: ‚cognata] diversa quidem sed non multum inter se distantia.' Quam qui probarunt, vereor ut accurate loquendi usum examinaverint. Stoici enim si eiusmodi vocabula cognata appellavissent,

deberent eius usus apud Latinos scriptores exempla superesse, quos in grammaticae artis terminis plerumque Stoicos secutos esse constat. Eiusmodi autem exemplum nullum neque ab aliis allatum video, neque a me ipso inventum est. Varro enim quam cognationem verborum appellat de l. Lat. V. 1, ea in solis verbis iis cernitur, quae ab eodem primario verbo declinata sunt. Quintilianus quoque, haud spernendus auctor, et ipse aliquanto aliter loquitur, et alios etiam loqui significat hoc loco I. 5. 49: ‚nam sunt quaedam cognata, ut dicunt, id est eiusdem generis, in quibus, qui alia specie, quam oportet, utetur, non minus quam ipso genere permutato deliquerit. nam et an et aut coniunctiones sunt; male tamen interroges: hic aut ille sit? et ne ac non adverbia; qui tamen dicat pro illo: ne feceris: non feceris, in idem incidat vitium, quia alterum negandi est, alterum vetandi, hoc amplius intro et intus loci adverbia; eo tamen intus et intro sum soloecismi sunt. eadem in diversitate pronominum, interiectionum, praepositionum accidunt.' Vides haec omnia eo spectare, ut vitetur ‚in oratione comprehensionis unius sequentium ac priorum inter se inconveniens positio', eaque vocabula cognata dici, quae in eadem classe a grammaticis poni solent: vides etiam commotam mentem atque scelus eiusmodi cognatione nulla inter se copulata esse. Quod si quis tantum nobis licere existimet, ut, a Quintiliani loco profecti, per gradus enitamur, donec omnia vocabula, in quibus aliqua significationis similitudo compareat, cognata dicamus: is, nisi fallor, iure utetur admodum precario, et ad nostrum locum interpretandum nihil tamen conferet. Id priusquam ita esse demonstremus, de Orellii sententia, paullo magis definita quam prior illa, dicendum est, qui cognata ea vocabula hic dici opinabatur, quae plerumque a Stoicis homonyma dicerentur. At grammaticorum libros quum evolvimus, ne hoc quidem illorum loquendi usu

confirmatur. Quintilianus enim de homonymis haec tradit VII. 9. 2: ‚singula afferunt errorem, quum pluribus rebus aut hominibus eadem appellatio est (ὁμωνυμία dicitur); ut Gallus: utrum enim avem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est; et Aiax: Telamonis an Oilei filius. verba quoque quaedam diversos intellectus habent, ut cerno.' Similia habet VIII. 2. 13: ‚sicut in his, quae homonyma vocantur; ut taurus animal sit an mons, an signum in coelo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum non intelligitur.' Cum Quintiliano de usu vocabuli plane consentit Priscianus, qui in secundo libro haec scripsit cap. 5. p. 73 Kr.: ‚homonyma quoque tam in propriis quam in appellativis inveniuntur, ut Pyrrhus filius Achillis et Pyrrhus rex Epirotarum, nepos filius filii et nepos luxuriosus. inveniuntur tamen quaedam homonyma eadem et propria et appellativa, ut Magnus Pompeius et magnus civis.' Tertium addo Isidorum, qui eandem rationem secutus est, quum scripsit orig. I. 6: ‚homonyma, hoc est uninomina, eo quod sit in uno nomine significatio plurima. ut tumulus nunc mons brevis est, nunc tumens tellus, nunc sepulcrum: est enim in uno nomine significatio diversa.' Doctrinam tanta constantia per aliquot secula retentam ac propagatam vix mihi persuaserim olim, quum ab ipso inventore proponeretur, plane aliam fuisse. Possit tamen aliquis ad Varronem provocare, qui initio octavi libri de lingua Latina, Chrysippum, quum de inaequalitate scriberet, propositum habuisse dicit ‚ostendere, similes res dissimilibus verbis et similibus dissimiles esse notatas.' Hinc si quis colligat, Chrysippum fortasse ea quoque vocabula homonyma dixisse, quae in magna significationis diversitate ipsa forma non plane eadem, at simillima essent: non audebo id praefracte negare, quamquam de eo loco rectius videtur iudicari posse. At quis est, quin videat, ne sic quidem commotam mentem et scelus

homonyma dici potuisse? Tota igitur ista de homonymis coniectura reiecta, Orellium paullo etiam aptius facturum fuisse existimo, si de synonymis cogitasset, quamquam hoc quoque falsum videtur. Nam quum intelligamus, Stoicum Damasippum scelera omnia ad insaniam rettulisse, neque tamen ita, ut omnes insanos eosdem etiam sceleratos diceret: apparet, ex illius praeceptis omne scelus insaniam esse, non omnem insaniam scelus, atque illum quidem scelus et commotam mentem non magis potuisse synonyma dicere, quam haec a quoquam synonyma dicentur: arbor, palma, pinus, vel: homo, consul, servus. Itaque aut credendum erit, Stoicos, ad solam significationem verborum respicientes, praeter homonyma et synonyma et ea, quae a grammaticis cognata appellabantur, aliud quoddam genus cognatorum vocabulorum posuisse, idque, quum nobis nihil de eo constet, ita olim notum, ut in carmine non solis grammaticis scripto commode eius mentio fieri potuerit: aut habebimus, cur de scripturae veritate dubitemus. Huc ut inclinet sententia, altera etiam causa est. Illa enim vocabula, quae scimus cognata dicta esse, ideo ita dicta esse apparet, quod inter se cognatione quadam coniuncta videbantur: quae Damasippus simpliciter cognata appellat, ea quibus dicemus cognata fuisse? Veris, opinor, rerum nominibus. At quis credet, Horatium tam obscure scripturum fuisse, ut cognata diceret, quae, si accurate loqui volebat, ‚cognata veris neque tamen ipsa vera' dicenda erant. Ac ne verum quidem est, rebus ex vulgari consuetudine vocabula imposita esse iis cognata, quae Stoici sola probabant. Sumamus aliquid e paradoxis: docebant illi, solos sapientes, si distortissimi essent, formosos esse, si mendicissimi, divites; ‚nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt' (Cic. pro Murena c. 29). In his vulgaris consuetudo Stoicorum sermoni ita dissimilis est, ut nulla oculorum acies vel

levissimum cognationis vestigium deprehendere possit, nisi cognata dicere velis, quae contraria sunt: idemque in aliis illius philosophiae locis permultis evenit. Quoquo nos vertimus, eodem relabimur, versum illum, qualis nunc est, quum intelligi non possit, non posse tolerari in carmine satis eleganti.

Ut intelligamus, quid scriptum olim fuerit, ad Stoicos redeundum eorumque doctrina de vocabulorum natura atque usu respicienda est. Ea in quaestione quod primum ac summum ponebant, id non invenerant ipsi, sed ab Heracliteis acceptum tuebantur: sermonem humanum naturalem esse, non impositivum, *φύσει* eum ortum esse, non *θέσει*. Neque tamen ideo de quotidiana loquendi consuetudine admodum magnifice sentiebant: imo in ea ita omnia permista esse dictitabant, ita vocabula a primaria significatione detorta, ita omnia figuris et translate dictis scatere, ut omnis sermo a pristina ac naturali puritate degenerasse videretur. Itaque quum ipsi vel loquebantur vel scribebant, ne imprudentes peccarent, orationis genere utebantur, quod idoneo existimatori 'fortasse subtile et certe acutum, sed ut in oratore exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum' est visum (Cic. de orat. III, 18. 66), et infinitam praeterea operam in eo ponebant, ut verborum origines atque etyma investigarent: ita enim eo perveniri posse arbitrabantur, ut tandem aliquando certo constaret de vocabulorum vi atque usu, et sua singulae res nomina recuperarent. Neque mirum nobis videbitur, eos, ipsa hac diligentia elatos, vulgus non raro vituperasse, quod iis vocabulis temere uteretur, quae ipsi rei, recte intellectae, minime accommodata essent, et perperam potius vel ficta vel aliunde ascita viderentur, quam a natura, sola verorum vocabulorum matre, monstrata. Ac tale quid in Horatio quoque a Damasippo reprehensum esse, quum s c e l u s appellare videretur id, quod proprio et

naturali vocabulo *insania* dicendum esset, vel ideo mihi persuasum est, quod ipsius formulae ‚*ex more*' vis eo, quod in versus capite collocata est, ita augetur, ut ei in subsequentibus aliquid e contrario oppositum fuisse coniicias. Sic igitur totum locum emendandum censeo:

an commotae crimine mentis
absolves hominem et sceleris damnabis eundem,
ex more imponens *non nata* vocabula rebus.

Ea enim vocabula, quae rerum penitus perspectarum naturalia videbantur, a poeta recte, opinor, *nata* appellari poterant: similiter enim ab optimis scriptoribus is, quem natura aptum finxit ad aliquid, ei rei *natus* esse dicitur. Corruptela videtur a sciolo aliquo illata esse, qui non intelligeret, quomodo quis vocabulis uti posset, quae nata omnino non essent.

Addam aliquid de alio eiusdem satirae loco, minus gravi illo, at ipso etiam Stoicorum praeceptis adhibitis vel explicando vel emendando, v. 84 sqq.:

heredes Staberi summam incidere sepulcro,
ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri
frumenti quantum metit Africa. sive ego prave
seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi. credo
hoc Staberi prudentem animum vidisse. quid ergo
sensit, quum summam patrimoni insculpere saxo
heredes voluit?

Unum in his rectissime ab interpretibus intellectum est, illa (v. 87) ‚sive ego prave' usque ad ‚patruus mihi' ab ipso Staberio dicta fingi, qui suum ipsius arbitrium sequi, neque a quoquam suos circulos turbari voluerit: idque monstraverat Acron et Cruquianus commentator, quorum uterque illa verba Staberii ἀνθυποφοράν dicit. De ceteris dissentiunt: ac veteres etiam dissensisse, Acron docet, qui ad v. 89 haec adnotavit: ‚quid ergo sensit] aut interrogatio audientis, aut in-

terrogantis dubitatio.' Utramque rationem quum sint qui sequantur, ego eos recte statuere existimo, qui probant posteriorem. Per totam enim satiram ita loquitur Damasippus, ut agnoscas hominem acrem et inquietum: qua qui sunt indole, solent fere nimii esse in interrogando, ita ut aut nullo responso exspectato (non dubitant enim, quin alter adsensurus sit) ad novas usque interrogationes properent, quo fit, ut videantur cum aliis loqui, loquantur secum ipsis aut, si quando dubitant aut volunt dubitare videri, continuo semet ipsos interrogare incipiant. Eius festinationis quum plurima vestigia in Damasippi sermonibus insint, vereor, ne exundans orationis flumen non apte reprimatur ab iis, qui illa verba ab Horatio aut uno ex heredibus Staberii pronuntiata esse malunt, quam ab ipso Damasippo. Accedimus ad eam loci partem, quae omnium difficillima est. De his enim: ‚credo hoc Staberi prudentem animum vidisse' ii certe interpretes, quos ego novi, aut tacent, aut ea dicunt, quae probari non possint. Singula eorum commenta enumerare neque iucundum est neque necessarium, quum primarius unus sit error, quem nemo satis cavit, isque talis, ut, illo admisso, cetera, quamvis ingeniose excogitata, ne possint quidem recte procedere. Apparet enim, Staberium a Damasippo inter insanos poni: quod iudicium quum defendere vellet, non poterat ille eundem hominem et insanum dicere et prudentem. Itaque Heindorfius, qui aliquam Staberii prudentiam in eo cerni existimabat, quod ipsam illam formulam ‚sive ego prave seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi' in testamento posuisset, nimis honorifice de insano homine iudicantem fecit Stoicum, et temere statuit, tale quid in testamento scriptum fuisse, quod ex Horatii verbis non potest effici. Longe cautius Wielandius locum ita interpretatus erat, ut Staberium coram amicis ad suam in agendo libertatem provocasse diceret, quum singularem illam clausulam, qua heredibus poenam irrogabat,

nisi suo iussui obtemperassent, testamento adderet: at hic quoque insanum hominem prudentem facit. Diversam rationem sequitur Orellius, cuius adnotatio haec est: ‚vidisse] Staberium hoc in testamento statuisse credo non temere, sed prudenter atque consulto, ut quid de divitiis, bonorum fine, in vita sensisset, etiam posteritati declararet et, ut opinabatur, propter divitias immortalem gloriam sibi pararet.' Vera haec sunt, sed ita vera, ut ne dici quidem debuerint. Inepte profecto fecisset sive Horatius sive Damasippus, si ea se c r e d e r e dixisset, quae poterat certo scire: quid enim aliud, nisi posterorum admirationem, captare possit avarus atque absurdus homo, qui summam pecuniae a se relictae in sepulcro incidi iubet, equidem non assequor. Rectae interpretationis semina insunt in Wielandii et Heindorfii sententiis, sed ad Stoicorum praecepta respiciendum erat, non universe disputandum. Qui quum beatam vitam sola virtute contineri persuasum haberent, ut vulgarem sermonem contemnebant, ita etiam vulgi opiniones et iudicia ita negligebant, ut solam virtutem amplectendam, de infamia et turpitudinis specie ne cogitandum quidem esse dictitarent: qui enim sapientis esse dixit ‚nihil contra mores, leges, instituta facientem habere rationem rei familiaris', Hecato Rhodius (Cic. de off. III. 15. 63), remiserat aliquantum de genuina sectae severitate. Ita quum iudicarent, magnam ab iis prudentiae laudem reportasse consentaneum est eum, qui Herculanensem illum titulum scripsit, primum a Winckelmanno editum (opp. ed. Eiselein. II. p. 168) et mox noto Wielandii libello nobilitatum: *ΛΕΓΟΥΣΙΝ Α ΘΕΛΟΥΣΙΝ ΛΕΓΕΤΩΣΑΝ ΤΙ ΜΕΛΙ ΣΟΙ.* Nec multo minorem laudem meruisset Staberius, si eo consilio in ipso etiam sepulcro aliquid singulare scribi iussisset, ut sua se libertate uti demonstraret neque velle ex eorum nutu suspensum esse, qui alienarum rerum inepte curiosi essent. Afuit vero ab ea prudentia longissime: nam quum scriberet

testamentum, non de sua libertate tuenda cogitabat, sed ‚hoc, veluti virtute paratum, sperabat magnae laudi fore' (v. 98), ac propterea plane insanus erat dicendus. Ita Damasippum philosophatum esse, satis, nisi fallor, apertum est. Debent igitur haec: ‚credo hoc Staberi prudentem animum vidisse' sententiam continere contrariam ei, quae nunc videtur inesse. Potest id quidem facillime effici, si, quod veteres interpretes perperam de solis vocabulis his ‚prudentem animum' monuerunt, ea εἰρωνικῶς dicta esse, ad totum enuntiatum transferimus: fateor tamen, istud εἰρωνείας genus neque per se ipsum iucundum esse, neque liberrimi oris homini, qualis Damasippus fuit, accommodatum videri. Praestabit igitur, hoc quoque enuntiatum per interrogationem pronuntiare, ita ut totus locus ex hodierna consuetudine ita fere interpungendus sit:

heredes Staberi summam incidere sepulcro,
ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
frumenti quantum metit Africa. ‚sive ego prave
seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi!' — credo
hoc Staberi prudentem animum vidisse?? — quid ergo
sensit, quum summam patrimoni insculpere saxo
heredes voluit?

Damasippus secum uno loquitur. Ipse se interrogat, num credibile sit, avarum hominem una tamen in re prudentem fuisse: id quum sibi persuadere non possit, rursus interrogat, quid tandem illum moverit. Eam ad quaestionem ita deinde respondet, ut summa Staberii insania deprehendatur. Ceterum ut facilius agnosceretur interrogatio, Horatius fortasse in versus clausula non credo scripserat, sed credone: eiusmodi enim syllabae in fine versuum et poterant facile obliterari et sunt obliteratae saepissime. Neque id tamen pro certo posuerim.

X

Supersunt in eadem satira, propter quam in Stoicorum dumeta excurrimus, versus non plane pauci, quos corruptos esse liquido confirmare non dubito, quamquam non omnium facilis est emendatio. Omissis igitur iis, quorum probabilem medelam adhuc nullam inveni, de tribus quid mihi videatur aperiam. Versuum ordinem secutus, primum pono hunc locum (v. 24 sqq.):

hortos egregiasque domos mercarier unus
cum lucro noram, unde frequentia Mercuriale
imposuere mihi cognomen compita. ‚Novi
et miror morbi purgatum te illius.' Atqui
emovit veterem mire novus, ut solet in cor
traiecto lateris miseri capitisve dolore.

Ita enim haec distinguenda esse, ut, quae prima sunt ac postrema, a Damasippo dicantur, quae media interposita, ab Horatio, recte nunc a plerisque intelligitur, qui perversis quorundam commentis obsequi noluerunt. Neque quicquam in toto loco difficile est praeter unum illud vocabulum mire, in quo ita haereo, ut nodum, qui solvi non potest, discindendum esse existimem. Potest illud adverbium ad totum enuntiatum referri, ita ut id ipsum mirum esse dicat Damasippus, quod prior morbus altero emotus sit: at qui potuit magnopere mirari id, quod ipse in aegrotis saepe evenire, imo evenire solere perspectum habuit? Potest etiam cum solo adiectivo novus coniungi, ut multa scimus mira videri, quia nova et inaudita sunt: at hoc quidem loco quod novum dicitur, non opponitur iis, quae vulgo nota erant, sed solis veteribus, quae fuerant antea. Atque hoc si voluisset Horatius, novum morbum, qui veterem expulerat, eundem etiam per se ipsum mirum fuisse, adiectivo usus esset, non adverbio. Denique ipse hic morbus, quem recte

explicant de nimio ac parum hominum animis fructuoso philosophandi ardore, vix potuit illa aetate magnopere mirandus videri: permultos enim id factitasse consentaneum est, quod vel libidinosas mulieres imitatas esse constat (epod. 8). Possit aliquis hunc philosophandi morbum ideo mirum dictum credere, quod ipsa philosophorum, et maxime quidem Stoicorum, praecepta mira essent: at quum paucis versibus interiectis haec legantur (v. 33): 'si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira descripsi docilis praecepta', num credibile est, intra paucissimas lineas idem bis dictum esse? Aures praeterea consulendae sunt: quibus non placebit, opinor, continua eiusdem vocabuli repetitio: miror 27, mire 28, mira 33. Unum in his certum est: morborum enim hic facta mentione quid omnino efficere voluerit Damasippus, rectissime est ab Iacobo Cruquio explicatum, cuius e disputatione nonnulla huc transscribam. 'Videtur, inquit, Horatius hoc velle, quod minus difficilis morbus nonnunquam transmutetur in acerbiorem: quemadmodum fatetur Damasippus affectionem corporis et actionem in negotiorum merciumque administratione se commutasse in affectum animi, qui graviores turbas dabat. quam sententiam subsequens versus dilucidius aperit, puto: „ut lethargicus hic cum fit pugil": nam qui lethargo laborat, is morbo afficitur non perturbato molestove nec sibi nec alii: at is si cadat in phrenesin, protinus vehementia mali concitatur, effertur, sursum deorsumque rapitur, et quasi pugil aliquis ita totus exagitatur, ut et sibi et aliis difficilis, acerbus et formidolosus non iniuria esse possit.' In his ut minuta quaedam reprehendi posse non nego, ita ipsam disputationis summam verissimam iudico. Lateris enim dolor qualis hic dicatur, ut intelligamus, non de Lucilii illo 'tum laterali' dolor certissimu' nuntiu' mortis' (ap. Victorin. p. 1963 P. 293 Lind.) cogitandum est: quem quidem versum poetam de morbo aliquo posuisse crediderim, in quo lateralis doloris accessio

pro certo instantis mortis signo habebatur. Celsus certe eum dolorem saepe a medicis sanari his verbis significat, (medic. II. 8. p. 75 Bip.): ‚laterum dolores, suppuratione facta, deinde intra quadragesimum diem purgata, finiuntur.' Atque eiusdem morbi gravitatem magis etiam extenuat, quum docet, eum interdum intra dolorem esse, modo tarde modo celeriter solvi, interdum ad perniciem quoque procedere, si oriatur acutus morbus, qui *πλευριτικός* a Graecis nominetur (IV. 6. p. 213). Neque ab his dissentit Horatius, quum epist. I. 6. 28 (sat. II. 3. 163) de acuto laterum morbo dicat, Sabellam autem anum sat. I. 9. 32 laterum dolorem una cum tussi et podagra commemorantem faciat, qui morbi ut possunt perniciosi esse, ita non solent inter desperatos haberi. Similis est ratio dolorum capitis. Fuit eorum unum genus (*κεφαλαίαν* Graeci vocabant), quod ‚pestiferum' existimat Celsus: at idem eiusmodi dolores interdum graves neque tamen mortiferos, interdum ita nullius momenti esse monet, ut vix morbus dicendi sint (IV. 2. p. 191 sq.). Eum vero morbum, qui Graeco nomine *καρδιακός* appellabatur (cor enim quod commemorat Horatius, id recte illuc refertur ab interpretibus) admodum periculosum fuisse, idem testis est: nam, enumeratis quibusdam remediis in curatione adhibendis, haec subiicit (III. 19. p. 165): ‚per quae si consequi potuimus, ut et sudoris impetus minuatur et vita prorogetur, incipit iam tempus ipsum esse praesidio.' Intelligetur ex his Romani medici testimoniis, quam bene universi loci sententia a Cruquio explicata sit: at idem unam illam voculam valde suspectam, de qua maxime dicendum erat, ne attigit quidem. Est tamen illius vestigiis insistendum: ad emendandum enim versum nulla re videtur opus esse, nisi ut statuamus, id, quod a Damasippo cogitatum et exemplis obscure significatum est, dici etiam ab ipso potuisse; neque, opinor, in eo homine, qui non dubitet profiteri, magistrum

suum praecepta crepuisse seque ipsum philosophandi morbo laborare, mirum nobis videbitur, si novum morbum vel graviorem dixit eo, quo antea affectus fuerat. Et auribus igitur satisfactum erit et sententiae, si ita scripserimus:

Atqui
emovit veterem maior novus, ut solet in cor
traiecto lateris miseri capitisve dolore.

Celsi libris etiam in altero loco emendando utemur. Opimium, avarum hominem ac magnas inter opes inopem, medicus e lethargo, quo oppressus iacebat, callide excitaverat, quum mensam poni, saccos nummorum effundi, complures ad numerandum accedere iussisset. Id postquam narravit, ita pergit Horatius (v. 150 sqq.):

addit et illud:
‚Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.'
‚Men vivo?' ‚Ut vivas igitur vigila, hoc age.' ‚Quid vis?'
‚Deficient inopem venae te, ni cibus atque
ingens accedit stomacho fultura ruenti.
tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.'

Fultura quam recte atque eleganter poni potuerit de cibo ac potu, quo alimur et sustentamur, idoneis exemplis a Bentleio demonstratum est: in hoc etiam adsentior viro summo, quod eam fulturam perperam hic ingentem appellari iudicavit, quamquam in ipsa eius adnotatione insunt quaedam, quae vafro alicui causidico convenientiora dixeris quam criticorum principi. Fultura ingens quin omnino recte dicatur, non est cur dubitemus: apte enim a poeta is victus ita vocabitur, quem Celsus athleticum dixit IV. 6. p. 214. Ac parum caute fecit Bentleius, quum ingentem fulturam cuiquam suppetere negavit, nisi qui ex toto incolumis et tutus esset: aliter iudicavit Celsus, qui ipso illo largissimo victu eum uti voluit, in quo laterum dolores ac tussis inde orta inveterassent. Ab hoc tamen loco ingens fultura aliena est:

nemo enim graviter aegrotantis curationem ab athletico victu inchoat, ipsumque illud oryzae ptisanarium non videtur admodum athleticum. Denique qui edacitate cum illis hominum edacissimis certare volet, ei tota macella evacuanda sunt: quale quid si audivisset avarus homo, eum prae nimio terrore moriturum fuisse credibile est. Sunt haec argumenta ita gravia, ut versum non interprete egere arbitrer, sed medico: neque ego primus sum in ea sententia. Marklandus quum idem iudicaret, locum ita mutavit, ut pro ingenti fultura ingestam poneret: cuius verbi cum duplex possit interpretatio excogitari, neutram mihi probari fateor. Etenim si de ipso cibo cogitas, qui, quoniam per os in stomachum ingeritur, ingesta fultura dictus sit: mirum videtur, medicum tam in loquendo elegantiarum studiosum fuisse, ut, quum moribundum hominem excitare vellet, eo tamen schemate satis infeliciter uteretur, quod ἓν διὰ δυοῖν appellant, quum posset aliquanto simplicius ita dicere: ni ingesto cibo stomacho fultura accedit. Sin autem ingestam fulturam de potu interpretamur, ut Falerni calices ingeri Catullus iussit 27, 2: ea explicatio et per se ipsa contorta videbitur et huic loco non apta; medicum enim, qui aegroto aliquid imperat, aperte loqui decet, non obscure et αἰνιγματικῶς. Longe praestabilior Bentleii coniectura est, ita scribentis ‚ni cibus atque praesens accedat', quod eius inventum tam egregium mihi videtur, ut, nisi ab iis literarum ductibus, qui in codicibus sunt, longius, quam par est, recederet, nihil amplius quaerendum existimarem. Id quum ipse vidisset et meliora inveniri posse significasset, Sanado non praesens sed instans ab Horatio scriptum esse coniecit, quod sane propius accedit ad id, quod scriptum extat in libris, et eandem vim, quae in Bentleiana lectione inest, iis fortasse videbitur habere, qui interdum ea, quae praesentia sunt, instantia dici meminerint. At hic tamen loquendi usus nescio an suis

atque certis finibus circumscribendus sit. Nam id quidem negari non potest, a quibusdam grammaticis instans appellari, quod tempore, ut ita dicam, praesens est. Eiusmodi vero formulae, quales sunt: praesens remedium, praesens medicina al., dubito num ad solam temporis praesentiam referendae sint: equidem in iis interpretandis potius de diis cogitaverim, qui quum praesentes dicuntur, in eo vocabulo potentiae atque auxilii significationem inesse constat, quod hoc ipso salutare est, quoniam eo et loco et tempore adest, quo oportet. Ita si et illas formulas et Bentleii praesentem fulturam interpretamur, non concedemus, eodem iure ubique etiam instans poni potuisse priusquam id certis exemplis demonstratum sit: dii certe, qui quum proeliis se immiscent, instare atque urgere interdum dicuntur, instantes, quantum equidem memini, appellantur nunquam. Mihi ad emendandum locum alia plane via videtur ingrediendа esse. Qui enim e graviore aliquo morbo convalescebant aut ipsa virium ac nervorum infirmitate laborabant, iis, ut pristinas vires paullatim recuperarent, non solo cibo, qui proprie sic vocatur, opus esse veteres medici iudicabant, sed vetulo etiam vino atque inprimis iis, quae quodammodo media sunt inter potum atque cibum: sorbitionibus, ptisanis, iure, in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus esset, similibus, quae multis locis a Celso commemorantur. Itaque Opimii medico, si accuratissime loqui volebat, quod quidem medicum svel maxime decet, non de solo cibo dicendum erat, praesertim quum ipse ptisanarium ab aegroto sumi vellet, non validius aliquid et sucosius, quod vulgo cibum appellabant. His de causis probabile fortasse videbitur, Horatium sic scripsisse:

Deficient inopem venae te, ni cibus atque
id genus accedat stomacho fultura ruenti.

hoc genus similiter posuit sat. II. 6. 44.

Post longam Damasippi disputationem quum maneat Horatius in ea sententia, ut se sanum existimet, uno tandem Agaues exemplo, quo scite utitur Stoicus, ita de statu deiicitur, ut victum se adversario confiteatur his versibus (305 sqq.):

stultum me fateor, liceat concedere veris,
atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
aegrotare putes animi vitio?

De his aut plane tacent interpretes, quos consulere mihi licuit, aut id non attingunt, quod solum difficile videtur ad interpretandum. Qui enim sive facturus aliquid sive dicturus vel optat vel precatur, ut id sibi liceat: is aliorum veniam sibi expetendam censet. Id quum certum sit, non video, quam primus eorum versuum, quos exscripsimus, explicationem habeat. Quis enim est ille, a quo veniam petit Horatius? Damasippus? at illi quidem adsentitur, neque solemus veniam praefari, nisi quum dissentimus. An credemus, Horatii mentem rectae rationis participem cum ea animi parte pactam quodammodo esse, quae, quum ratione careat, aegre eo perducitur, ut reprehensionem patienter ferat? At id quidem per se ipsum ridiculum est, nec paciscuntur cum sua perversitate, nisi qui admodum molles sunt et parum didicerunt sibi ipsis imperare, atque ipsum etiam vulgus eos, qui reluctantur iis, quae vera esse ipsi perspexerint, aut insanos habet, aut improbos. Cui sententiae quod contrarium est, id ne per iocum quidem ab Horatio probari potuisse crediderim: non licet enim iocari de eo, quod, ubi recte existimatur, omnium officiorum, omnis virtutis, humanitatis denique omnis fundamentum videtur, quo dempto corruent omnia. Itaque, donec alia fortasse coniectura inveniatur, quae propius etiam absit ab ipsis receptae lectionis literis, ita illum scripsisse existimabo:

stultum me fateor, lex est concedere veris,
atque etiam insanum.

XI

Valde memorabilis codicum discrepantia est in primi libri epistola duodevigesima v. 89 sqq.:

oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
sedatum celeres, agilem navumque remissi,
potores bibuli media de nocte Falerni
oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
nocturnos iures te formidare tepores.

Horum enim versuum tertius: ‚potores — Falerni' in codicibus neque paucis neque malis, quos Orellius nominat, aut omissus est, aut alia manu in margine adscriptus: accedit nunc Dessaviensis primi auctoritas, in quo nullum eius vestigium esse Kirchnerus docuit in nov. quaest. Hor. p. 13. Itaque quum Bentleius vereri se dixisset ‚ne interpolatoris liberalitati versiculus deberetur', Meinekius summi viri vestigiis insistens, aliquanto probabilius, uno inde vocabulo asumpto, ceteris abiectis, ita scribendum esse coniecit: ‚potores porrecta negantem pocula, quamvis': eamque rationem secuti sunt Orellius et Hauptius. Quae coniectura, quamvis elegans, vera tamen non videtur esse. Qui enim simpliciter porrecta pocula negare dicitur propterea, quod potus dormire non possit, aut parum firma valetudine utitur, aut nimis anxius est et de se ipso sollicitus. Morosus autem eiusmodi homo quibus displicet in convivio, ii profecto non continuo p o t o r e s dicendi sunt: displicebit omnibus, qui non abhorrent ab ea hilaritate quae suavissimum conviviorum condimentum est, ipsique Horatio, si recte eum novi, non potuit admodum probari; ad illas enim ‚noctes coenasque deum', in Sabino praedio celebratas, nemo hoc loco provocare volet. At qui de die strenue potavit usque ad mediam noctem, ei sane debet impune esse, si nihil amplius bibere vult, ne Falernum quidem, ne tota sibi nox pereat: idque qui impro-

bant, ii potores et sunt et habentur. Itaque certum mihi videtur, aut ipsum illum versum ab Horatio positum fuisse, aut alium simillimum, fallacemque esse ingeniosae coniecturae elegantiam. Ipse autem versus magnopere commendatur eo, quod quum in aliis non malis libris scriptus extat, tum extabat in antiquissimis Blandiniis: Cruquius enim non fuit adeo negligens, ut credibile sit, eum nihil omnino dicturum fuisse, si illum suis in codicibus omissum vidisset. Hoc etiam vix ac ne vix quidem mihi persuadeo, ab interpolatore antiquo versum confictum esse tam difficilem, ut ipsis etiam librariis coniectura videretur sanandus esse. Inepte enim potores bibulos dici, sive Falerni addas, sive non addas, recte et recentiores interpretes, quorum quidem praecipua auctoritas est, Bentleium ea in re secuti iudicant, et iudicarunt aliquot abhinc seculis qui in quibusdam libris liquidi posuerunt pro bibuli et de luce pro de nocte. Quorum rationem quod probavit Bentleius, quoniam eadem paene legerentur epist. I. 14. 34 ‚quem bibulum liquidi media de luce Falerni': id iis placere poterit, qui versum interpolatum esse statuunt, nobis, quibus Horatianus videtur esse, non item; exilis enim ingenii est, se ipsum imitari. Miror equidem, a nemine, quod sciam, intellectum esse, quam leni mutatione opus sit, ut omnia rectissime procedant. Scribendum est:

potores vetuli media de nocte Falerni
oderunt porrecta negantem pocula.

Falernum vinum vetulum appellari, duobus Catulli et Martialis versibus demonstravit Bentleius ad carm. III. 15. 16. addendum est inprimis Macrobii praeceptum de mulso (saturn. VII. 12) ‚mulsum, quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio et vetulo Falerno': in quo apertissima Glyconici metri vestigia esse, scite monuit Meinekius exercitatt. in Athenaeum spec. II p. 23.

Similis quaestio magno a multis studio agitata est de octo illis versibus, quos libri quidam, quorum duos seculo X scriptos Orellius vidit, initio satirae I. 10 positos exhibent. Ii utrum Horatiani sint, an a grammatico aliquo temere additi videantur, quaerere alienum est ab hoc nostro instituto, praesertim quum in tanta sententiarum diversitate longiore disputatione opus sit. De uno tamen versu disseremus accuratius: nam ut recte iudicari possit de suspectis eiusmodi locis, nulla re magis opus est, quam ut in ipsis verbis nihil insit, quod corruptum esse suspiceris. Non carent autem suspicione haec, quae inde a v. 4 leguntur:

longe subtilior illo,
qui multum puer et loris et funibus udis
exoratus, ut esset, opem qui ferre poetis
antiquis posset contra fastidia nostra.

exoratus, quod v. 6. scripsi, est in Bernensibus libris satis antiquis atque in Berolinensi codice, quem inspexit Heindorfius, eaque scriptura ita probatur non paucis, ut alii eam tolerabilem iudicent, alii magnopere admirentur. Atque illi quidem omnes in eo consentiunt, ut in his ‚loris exoratus' oxymoron inesse dicant. Quae figura quam non accommodata sit huic loco, ficto exemplo demonstrabimus. Sumamus impium hominem, qui patrem suis consiliis obsistentem tandem vi illata eo, quo volebat, adegerit. Fingamus aliquem, qui patrem sententia deiectum esse audierit, ita interrogasse: ‚num exoravit patrem?' Huic si quis responderit: ‚sane, fustibus exoravit', id et acerbe dictum erit et optimum oxymori exemplum. Vides, nisi fallor, quantum intersit inter utrumque locum: patrem enim exorare fas est, pueros non exoramus ut aliquid facere ne dedignentur, sed facere iubemus, et, si opus est, cogimus ut faciant. Itaque ea figura, quae aptissima videbatur, quum de patre diceretur, si de

puero vapulante ponitur, perversa ac plane ridicula est. Prudentius igitur fecerunt, qui ediderunt haec:

qui multum puer et loris et funibus udis
exhortatus, ut esset opem —:

eaque scriptura egregie confirmatur Bernensibus codicibus duobus sec. XII et XIII exaratis, in quibus exortatus legitur. Ita oxymoron oritur eo, de quo diximus, longe aptius, quum sit magistrorum pueros exhortari. Neque quisquam facile argumentis demonstraverit, non potuisse omnino Horatium ita scribere, nedum grammaticum aliquem, qui vellet poetam agere: me tamen iis adsentiri fateor, quibus illud acumen nimis quaesitum videtur, quam ut ipso Horatio plane dignum sit. Quamquam igitur non potest certi quicquam statui, priusquam re denuo pertractata paullo magis exploratum erit, quis illos versus composuerit, tamen quid et mihi in mentem venerit et aliis, semel a me monitis, exponam. Etenim recte negant interpretes lora et funes udos ea instrumenta fuisse, quibus solebant olim magistri puerorum studia excitare: imo vel illorum sors aliquanto melior fuit ‚si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit', quem Domitii Marsi versum Suetonius servavit gramm. 9. Quodsi ille plane Catonianus magister tam et nova et terribilia in castigandis pueris machinatus est, unumque puerum saepe tam male mulcavit: fortiore utique verbo utendum fuit, quam illo in oxymoro posito exhortari, quod rectissime dicetur etiam de eo, qui aurem discipuli vellicet, vel ita feriat, ut ne ipsum quidem graviter irasci intelligas. Itaque haec olim scripta fuisse existimaverim:

qui multum puer et loris et funibus udis
excoriatus, ut esset, opem qui ferre poetis
antiquis posset.

Ipsius vocabuli, quod posuimus, exempla supersunt neque multa neque valde antiqua, est illud tamen ita formatum, ut

non videam, quid impediat, quominus vel optimos scriptores eo uti potuisse credamus, praesertim quum corium in eadem re paene sollenne sit apud Plautum. Possit quidem altera forma decoriari aptior videri de vapulante homine: at Graeci quoque, quum similia narrant, ἀποδέρειν et ἐκδέρειν promiscue usurpant, quorum hoc v. c. apud Aristophanem est vesp. 450 προσαγαγὼν πρὸς τὴν ἐλάαν ἐξέδειρ' εὖ κἀνδρικῶς.

XII

Posteaquam disputavimus iis de locis, qui propter similitudinem vel vitiorum vel argumenti artius videbantur coniuncti esse, de aliis quibusdam dicendum est, qui nulla eiusmodi societate continentur. In his trastandis vulgarem librorum ordinem sequemur.

Carm. I. 37. 6 sqq.:

dum Capitolio
regina dementes ruinas
funus et imperio parabat
contaminato cum grege turpium
morbo virorum.

Est hic locus ex iis, quos corruptos esse multi et olim senserunt et adhuc sentiunt, quamquam si quis aliter se iudicare profitetur, is vix poterit invictis argumentis de sententia deiici. Nam illud quidem agnoscent omnes, Cleopatrae comites si uno vocabulo turpes appellati essent, vix tamen quemquam dubitaturum esse, quin eorum turpitudo in eo posita fuerit, quod eunuchi erant: ac licebat poetae breviori esse in recentis victoriae commemoratione. Qui si plenius de turpium contaminato grege dixit, ita omnem videtur sermonis ambiguitatem vitasse, ut plura non desideres praesertim in lyrico carmine. Morbo cur addiderit, non satis intelligitur: imo fatendum est, id vocabulum ad spadones descri-

bendos ne tantillum quidem conferre. Morbo enim turpes permulti sunt, qui non sunt spadones; de muliebri autem morbo ut cogitemus hoc loco, solo, opinor, hoc epitheto 'contaminato grege' permovemur: quo concesso apparet, quam otiosum ac languidum illud additamentum sit, quod ipsum ad loci sententiam nihil plane novi addat. Respondebunt tamen codicum propugnatores, potuisse etiam Horatium dormitare, neque quicquam magis cavendum esse, quam ne, dum literarum apices captare videamur, ipsos poetas emendemus. Cumulationem denique verborum, quae ibi cernitur, simili fortasse cumulationis exemplo defendent hoc carm. I. 17. 14: 'hinc tibi Copia manabit ad plenum benigno ruris honorum opulenta cornu', ac precario nos iure uti existimabunt, si contra dixerimus, copiam copiose describendam fuisse, foeda ac tetra attingenda esse poetis, non exaggeranda. Quae illorum responsio si ad unam illam formulam spectaret, quam adhuc examinavimus, mihi quidem tolerabilis videretur: at illi, si constare sibi volent, habebunt, cur iterum excusent Horatium, non defendant, quod illum Cleopatrae 'semivirum comitatum' (Verg. Aen. IV. 215) honestissimo vocabulo viros appellavit, quos homines apparet ideo turpes et contaminatos fuisse, quod carebant virilitate. Id qui patienter ferunt, vereor ne iniuriam faciant poetae. At ipsum hoc vocabulum, quod perquam inepte nunc positum videtur, si ita positum fuit ab Horatio, ut acumen quoddam in eo inesset; si, oxymoro vel simili aliqua figura usus, cum magna irrisionis acerbitate ista virorum spectra notavit: agnoscemus, nisi fallor, carum nobis poetam, neque mirabimur librarios in eiusmodi loco errasse. Potest tale quiddam mutatione non nimis temeraria effici: viderint igitur, qui de primis huius disputationis principiis mecum consentiunt, num hanc scripturam admittendam iudicent:

contaminato cum grege turpium
verbo virorum.

Viri enim spadones non re erant, sed verbo, quoniam virorum nomina habebant.

Carm. IV. 4. 13 sqq.:

qualemve laetis caprea pascuis
intenta fulvae matris ab ubere
iam lacte depulsum leonem
dente novo peritura vidit:
videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici.

De his versibus quae copiose disputavit Bentleius, ab recentioribus eadem et probata sunt et non probata. Quod enim negavit, ubere pro adiectivo haberi posse, ita ut haec ‚lacte ubere' coniungerentur, in eo, quamquam nonnulli reluctari pergunt, plerosque et prudentissimos quidem adsentientes habuit: quod vero leonem, qui ‚matris ab ubere depulsus' iam dictus esset, non posse in eodem paene versu etiam lacte depulsum dici contendit, id eius decretum non desunt qui impugnent. At isti quidem plumbeo gladio iugulare conantur illum ‚asperum tactu leonem.' Nam quod fere aiunt, ‚lacte significari id, a cuius usu prohibeatur qui a matris ubere depellatur', id et ipsum recte se habet, et minime credibile est talia Bentleium non perspexisse: at quod inde colligunt, ‚leonem sine verborum abundantia ab ubere matris lacte depulsum dici potuisse', temere ac tamquam de Delphico tripode id ipsum, de quo ambigitur, pro certo atque explorato ponunt. Itaque negabimus eos, qui tam non firmis argumentis rem confici posse opinabantur, in Bentleio refellendo quicquam profecisse, ac donec demonstratum erit, decere poetas lyricos eodem tempore et carmina pangere et suorum carminum interpretes agere, non dubitabimus, quin in illo vocabulo corruptela aliqua lateat. De ipsa vero emen-

datione aut plane desperandum erit, aut a Bentleii sententia discedendum. Qui si recte statuisset, ‚lacte' ex glossa irrepsisse et vocabulum, quod Horatius posuerat, extrusisse, liceret verba, quae trochaei pedis mensura continentur, tantum non omnia ad emendationem adhibere, quo concesso non solum de veritate, sed ne de probabilitate quidem emendationis certari posse apparet. Idque suo exemplo confirmavit vir summus: ipsius enim coniecturae ‚iam mane' vel ‚iam sponte' neque ipsi admodum probabiles sunt visae, neque aliis videbuntur. Recte igitur existimarunt recentiores, in hoc etiam loco sanando, communi lege servata, id spectandum esse, ut emendatio quam proxime abesset ab iis literarum ductibus, qui expressi sunt a librariis. Satisfecit huic legi Lachmannus, quum scribendum iudicavit ‚iam (macte!) depulsum leonem': at ne hoc quidem acutissimi viri, cui emendandi negotium persaepe admirabiliter cessit, inventum ullum, quod sciam, patronum nancisci potuit. Hodie igitur plerique eorum, qui locum corruptum esse intelligunt, in Kusteri coniectura acquiescunt ita scribentis ‚iam iamque depulsum leonem dente novo peritura vidit.' Est ea scite excogitata ac talis omnino, ut leviter illam stropham inspicienti magnopere placere possit: at evanescit probabilitatis species, quum singula accuratius examinantur. Mihi enim in verae lectionis inquisitione proficiscendum videtur inde, quod caprea ‚laetis pascuis intenta' dicitur. Quae quum scriberet, si nihil spectasset Horatius, nisi ut ornaret orationem, minus forti vocabulo eum usurum fuisse existimo: nam intentus alicui rei proprie is dicitur, qui omnibus et animi et corporis viribus contentis totus in ea est, ita ut eorum, quae circa se gerantur, plane obliviscatur. Talis fuit ille Horatianus auceps, qui ‚merulis intentus decidit in puteum foveamve' (a. p. 458), et similiter explicandus est locus sat. I. 5, 84. Quae quum ita sint, si caprea illa in altera vallis

parte leonem conspexisset, si propius advenientem vidisset 'iam iamque peritura', aut fugisset, opinor, aut metu exanimata stetisset, laetis certe pascuis intenta non fuisset (cf carm. I. 15. 29 sqq.). Qua via si pergimus, probabiliorem puto emendationem inveniri posse. Pascuis enim si intenta fuit caprea, leonem sine dubio non vidit priusquam adesset ac praesens esset: atque eiusmodi aliquid dicendum erat Horatio, si volebat Drusi laudes plene et digne celebrare. Etenim ille paene divinus adolescens non solum Raetos, quos circa Tridentinos montes obvios habuit, *διαταχέων ἐτρέψατο*, quod Cassius Dio testatur LIV. 22, sed utramque gentem, Raetos et Vindelicos, communicata cum Tiberio fratre opera celerrime subegit: una enim aestate 'gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine' perdomuit (Velleius II. 95). Ut igitur initio carminis aquilam, cum qua Drusum comparat, fulminis ministrum appellat, ac vivido se impetu in ovilia demisisse dicit v. 10: ita in hoc etiam simili, a leone ducto, de celeritate aliquid addendum erat, qua ille capream corripuisset. Hac argumentatione adducor ut credam, Horatium ita scripsisse:

qualemve laetis caprea pascuis
intenta fulvae matris ab ubere
iam tacta depulsum leonem
dente novo peritura vidit:
videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici.

Tangere recte etiam iis de reibus dici posse, quae magna vi magnoque impetu in aliquid irruant, quum alia nonnulla exempla demonstrant, tum inprimis sollennis formula 'de coelo tangi' vel 'fulmine tangi.'

XIII

Sat. I. 4. 48 sqq.:

> at pater ardens
> saevit, quod meretrice nepos insanus amica
> filius uxorem grandi cum dote recuset
> ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
> noctem cum facibus.

Duplicem causam habeo, cur non credam, haec sic ab Horatio scripta esse, quamquam recentioribus interpretibus nihil in iis difficile est visum. Quiq uod aiunt, nepotem et omnino saepe de luxurioso homine poni et hoc loco ita positum esse, ea sententia, si quid video, partim verissima est, partim non vera. Nam quin licuerit Horatio ita vocabulo illo uti, nemo facile dubitaverit: at hoc perquam dubium mihi videtur, num hic quidem tantum effici possit ea interpretatione, ut, illa admissa, omnia recte procedant atque cohaereant. Nullum enim vitium ab Horatiana poesi alienius esse quam obscuritatem, quum prudentissime monuerit Suetonius in vita Horatii, aut demonstrandum erit, nihil ibi obscurum atque ambiguum esse, aut de librariorum fide dubitandum. Illud ut demonstrari possit vereor. Qui enim legerit, patrem graviter iratum fuisse, quod nepos meretricis amore insaniret, et paullo post filii mentionem factam viderit, is, nisi fallor, nepotem de filii filio interpretatus, in sequentibus exspectabit narratum iri, quibus conviciis filius a patre lacessitus fuerit, quod in suo filio custodiendo tam negligens esset. Filius autem quum praeter patrem ac nepotem commemoratus sit, apparet, hic quidem eundem hominem eodem iure et patrem dici potuisse et avum. Quare non licebit ad simillimum hunc locum provocare sat. II. 1. 53 ‚Scaevae vivacem crede nepoti matrem', qui ambiguus non est, quum de sola matre cogitari possit, non item de avia. Ea dubitatio quum dudum mihi oborta

esset, in tanta tamen interpretum securitate ipse mihi diffidere inceperam, donec intellexi et doctos quosdam viros, quos consulebam, eadem re magnopere offendi, et ipsos etiam veteres ita haesitasse, ut, quod est fere desperantium grammaticorum, ipsam obscuritatem, quam tollere non possent, diligerent et admirarentur. Eius desperationis tenue vestigium in his Cruquiani commentatoris verbis latet: ‚nepos] tacita et egregia significatio filii luxuriosi'; planius locutus est Acron, cuius haec sunt: ‚nepos] filius; affectavit obscuritatem.' Ingenuam denique confessionem Porphyrioni debemus hanc: ‚nepos] bellam obscuritatem affectavit nepos non filius dicendo, sed nepos luxuriosus atque prodigus intelligendus est.' At istis profecto *τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται*: interest enim aliquid inter Horatianam satiram et divinam illam Dantis comoediam, cuius ipsa obscuritas grande quiddam ac divinum habet. Suspicio semel mota confirmari mihi videtur eo, quod parum credibile est, eum patrem, qui magnum dedecus esse clamitaverit, quod filius ebrius ante noctem cum facibus per urbem vagaretur, de maiore utique eiusdem filii facinore, quod meretricis amorem legitimis nuptiis anteponebat, non aliquid gravius dicturum fuisse, quo in perditos hominis mores inveheretur. Atqui potest non admodum audaci mutatione et omnis obscuritatis species removeri et iustae exspectationi satisfieri et ipsi denique sententiarum aequalitati consuli. Videndum igitur erit, ne ita scripserit Horatius:

at pater ardens
saevit, quod meretrice, nefas, insanus amica
filius uxorem grandi cum dote recuset
ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
noctem cum facibus.'

Sat. I. 8. 17 sqq.:

quum mihi non tantum furesque feraeque suetae

hunc vexare locum curae sunt atque labori,
quantum carminibus quae versant atque venenis
humanos animos.

Difficultas horum versuum alioquin facilium tota in eorum cum antecedentibus coniunctione versatur unaque in vocula posita est. Dicit Priapus, se ex ficulno trunco deum factum fures dextra coercere, aves terrere arundine in capite posita, totumque Esquilinum collem, qui propter sepulcrorum multitudinem antea tristis et paene infamis sit visus, mutata facie iam et habitantibus et ambulantibus iucundissimum esse: tum sequuntur versus quattuor supra a nobis exscripti. Quaerentibus nobis, quo illi modo cum praecedentibus cohaereant, haec respondet Cruquianus commentator: ‚sensus est: ego novi horti sum factus custos, ut terream fures et feras; sed hi mihi non exhibent tantum laboris et molestiae, quantum mulieres veneficae.' Ea quum recte disputata viderentur, sed ita tamen, ut accuratius de singulis dici et posset et deberet, recentiores in eo fere consenserunt, ut dicerent quum, quae vocula prima est in v. 17, respondere vocabulo nunc, quod praecedit v. 14. Quae tamen coniunctio nescio an obscuritatis aliquid habeat. Quum enim ubi post nunc infertur, explicatur rerum status, quem dicunt, qualis praesenti tempore sit: Esquiliarum autem quae mutatio facta esset, in iis, quae proxime antecedunt, tam plene ac vel copiose narravit Priapus, ut qui haec legerit v. 14 ‚nunc licet Esquiliis habitare salubribus cet.' minime possit dubius esse, quibus in rebus praesens conditio priori praestiterit, neque quicquam minus exspectare, quam ut in sequentibus demum temporum mutationem describat poeta, aut videatur certe iterum describere velle. Id quum recte quidam languidum iudicassent et garrulo homine quam Horatio dignius, aliam ipsi excogitarunt interpretationem, ut Priapum sic fere loquentem facerent: ‚vos nunc iucundissime in colle et habitatis

et ambulatis, quum i. e. quo tempore ego misere crucior nefariarum artium adspectu.' At haec operose quaesita videntur et aliena ab Horatii simplicitate, qui si tale quid voluisset, sine dubio, ut vitaret obscuritatem, una ex adversativis, quae dicuntur, particulis esset usus. Accedit quod omnino eiusmodi morositas et magis fortunatorum invidia vix cadit in deum hilarem atque iocosum, qualis per totam satiram Priapus describitur. Itaque illud non vitupero, quod de mutanda vocula cogitavit Doeringius: at quae scriptura illi unice placebat ‚dum mihi non tantum', mihi non probatur, quoniam ipsa quoque, utut explicatur, aut Horatium nimis loquacem facit, aut Priapum nimis morosum. Equidem de loci sententia ita statuo. Quum antea in Esquilino colle nihil magis metuissent, quam fures et feras in sepulcreti solitudine latentes, gloriatus est Priapus, post hortos ibi aedificatos sua opera effectum esse, ut nullum iam ab illis periculum timendum esset. Id quo magis confirmaret, haec fere, si recte coniicio, addidit: ‚quid quod fures ac ferae vix ullam mihi molestiam afferunt; imo taedium mihi movent veneficae, quae tamen, quum noctu tantum huc veniant et domorum viciniam vitent, vobis neque habitantibus hic neque in aprico aggere ambulantibus unquam possunt molestae esse.' Itaque probabile mihi videtur, Horatium ea hic particula usum esse, qua non raro in simili sententiarum coniunctione utitur (v. Sat. II. 1. 71. II. 2. 77. II. 3. 137. al.), illosque versus ita scripsisse:

quin mihi non tantum furesque feraeque suetae
hunc vexare locum curae sunt atque labori,
quantum carminibus quae versant atque venenis
humanos animos.

Eadem autem particula quod paulo post v. 22 posita est, id neminem, opinor, offendet, in tanta praesertim significationis diversitate.

Sat. II. 5. 19 sqq.:

‚ergo
pauper eris.' ‚Fortem hoc animum tolerare iubebo;
et quondam maiora tuli. tu protinus unde
divitias aerisque ruam dic augur acervos.'

Ulixis responsum ut explicarent, veteres interpretes ad quosdam Vergilianae Aeneidos locos confugerunt, quorum similis est sententia: at recte post renatas literas intellectum est, veram explicationem altius repetendam esse ex ipsa Homeri Odyssea; decere enim Homericum Ulixen Homerice loqui. Itaque alii, Cruquium secuti, hos versus attulerunt e quinto libro (223 sq.):

ἤδη γὰρ μάλα πόλλ' ἔπαθον καὶ πολλὰ μόγησα
κύμασι καὶ πολέμῳ, μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω:

alii Lambini rationem amplexi sunt, qui de notissimo versu cogitare maluit Od. *υ.* 18 *τέτλαθι δή κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.* Atque mihi quidem Lambini iudicium ita placet, ut hodie vix quemquam de eius veritate dubitaturum esse existimem. At in ipsis Horatii verbis mendum aliquod latere persuasum habeo. Quamquam enim nullis certis argumentis demonstrari potest, illi non licuisse ea scribere, quae nunc eduntur, non credo tamen, in versu, qui paene in proverbium venerat, quicquam eum mutaturum fuisse, praesertim quum mutationis nulla possit causa excogitari. Vix igitur dubito, quin ita respondentem fecerit Ulixen:

Fortem hoc animum tolerare iubebo;
et quondam maiora tulit.

Haec enim et propius ad Homericam formulam accedunt, et ipsa poetico sermoni convenientiora videntur: ad codices autem hac quidem in causa, quum subsequens vocabulum a t litera incipiat, nemo provocare volet. Quodsi quis haec ‚tulit. tu' ideo minus probet, quod auribus parum iucunda sint, is eandem eiusdem literae iterationem intra quinque

continuos unius eclogae versus quater inveniri meminerit, sat. II. 2. 82—86: poterit transcurrere. volet tenuatum. et tractari. volet tibi.

Sat. II. 7. 61 sqq.:

estne marito
matronae peccantis in ambo iusta potestas?
in corruptorem vel iustior. illa tamen se
non habitu mutatve loco, peccatve superne,
quum te formidet mulier neque credat amanti.

Ultimum horum versuum, quem Orellius perperam cum sequentibus coniunxerat, ad praecedentes referendum esse, recte intellexit Hauptius. Pendet tamen et ipsa haec coniunctio et omnis totius loci interpretatio e verbis ‚peccatve superne', quae quum dixero a nemine adhuc probabiliter explicata esse, non vereor, ne id arrogantius dixisse iudicer. Lege modo hanc Orellii adnotationem: ‚illa morem tantummodo tibi gerit, dum non te init, sed muliebri patientia sese supinat tibi superne patranti (βινοῦντι).' Itane vero? Accurata nimirum lance opus est ei, qui isto modo virtutes ac vitia ponderare volet: quod si perfecisset Horatius, nae is omnium casuistarum, quos vocant, princeps habendus esset. Alii ad turpiora etiam descenderunt, verbaque illa ita interpretati sunt ‚neque ore morem tibi gerit': at quid, obsecro, ab hoc loco alienius est? Possum non pauca opinionum commenta istis addere: nam, si ab iis discesseris, qui et olim satis habebant alios exscripsisse et nunc satis habent, singuli paene interpretes suas et plane novas explicationes protulerunt, ac binas interdum singuli. Taedet et piget diutius in iis commorari: sunt enim tantum non omnes ex intimis vulgivagae Veneris penetralibus repetitae. Quodsi ulla ex iis vera esset, Horatius hanc satiram solis moechis centum artium scripsisse censendus foret, nisi forte etiam antiquitas suos Sanctios (Sanchez) habuit, qui, sola scientia delectati, vel foedissima quae-

que curiose rimabantur. Neutris quum ille scripserit, postquam irrita fuit interpretum opera, a sola critica arte id exspectari poterit, quo maxime opus est: neque despero, si non plane certa, at probabile tamen aliquid inveniri posse. Constat enim per omnes illos versus matronam moecho opponi: moechus ‚proiectis insignibus, annulo equestri, Romanoque habitu' (v. 53) totus ex equite servus fit, ac vel sic metuens ad adulteram intromittitur. Matrona, etiamsi peccat, peccat tamen aliquanto honestius: ‚non deponit ingenuitatis insignia', ut ait Cruquianus commentator, non descendit infra eum locum, quo et ipsa et maritus positus est; metuit denique advenientem amasium neque satis illi fidit. Cur diffidat et quid potissimum metuat, quum quaerimus, responsio, nisi fallor, parata est. Servilem enim adulteri habitum quum viderit, dubia haeret, utrum personatum servum videat, an verum, qui occasione arrepta domina frui velit, quod quidem eo magis timere poterat, quoniam peccati ministram ancillam habebat (v. 60). Est autem suae dignitatis ita sibi conscia, ut servilis concubitus summum ipsi ac turpissimum flagitium videatur. Itaque donec ipsam adulteri propius accedentis faciem conspicit atque agnoscit, eo, nisi me fallit coniectura, vultu suspectum hominem intuetur, quo nobiles intueri solent homunciones longe infra se positos, quum interest ipsorum, ne insolescant humiliores neve obliviscantur, quanto inferiores sint. Tale quid quum Horatio dicendum fuisse credam, ipsa eius verba haud scio an haec fuerint:

illa tamen se
non habitu mutatve loco, s p e c t a t q u e s u p e r n e,
quum te formidet mulier neque credat amanti.

p e c c a t q u e in collatione Saxiana fuisse, testis est Gesnerus, atque notum earum est particularum confusionem in Horatianis quoque codicibus paene sollennem esse.

XIV

Epist. I. 17. 1 sqq.

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis,
quo tandem pacto deceat maioribus uti,
disce, docendus adhuc quae censet amiculus.

Miror apertissimam corruptelam, qua laborat secundus epistolae versus, tam diu vel ab optimis editoribus ferri potuisse. Tandem enim quum constet impatientius interrogantis esse, interpretes, ut vocabuli vim illibatam servent, falsissimam loci explicationem comminiscuntur. Adscribam Orellii verba, quibus ceterorum disputationes simillimae sunt. Is igitur: ‚tandem', inquit, ‚in hac interrogatione obliqua significat, cum potentioribus recte versari rem esse valde difficilem.' Est sane difficillima, neque mirarer equidem, si dixisset Horatius, Scaevam post irritos conatus haud paucos tamen denuo quaesivisse, quid tandem sibi faciendum esset: nam plurimum fere efficiunt quaerendo, qui cum magna quaerendi patientia quandam inveniendi impatientiam coniungunt. Ubi vero post diuturnam investigationem ad certam alicuius rei scientiam pervenimus, nullus impatientiae locus est: sunt enim in scientia sedata, tranquilla, pacata denique omnia, quod ni ita esset, quotus quisque quaerendi laborem toleraret? Itaque ‚scire, quid tandem faciendum sit' neque Latine dicitur, neque rationi consentaneum est. Peccant autem interpretes etiam hoc, quod in ipsa sententia explicanda parum curiose versantur. Apparet, nisi fallor, de ratione, qua maioribus utendum sit, nihil universe praecipi posse, sed debere ipsa illa praecepta non minus diversa esse, quam diversa est eorum conditio, quibus prae-

cipitur. Erat Augustus idem et Maecenate maior et Horatio: at certum est, aliter eo Maecenatem usum esse, aliter Horatium. Velut ipsum illud ‚surge tandem carnifex', quod a Maecenate scriptum magnopere admiramur, si scriptum tunc fuisset ab Horatio, temerarium ac plane insanum videretur. Itaque poeta neque ausus est universe praecipere, quod non debebat audere, neque dixit, quod recte dici non poterat, sed scripsit ita:

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis,
quo tenuem pacto deceat maioribus uti,
disce, docendus adhuc quae censet amiculus.

Epist. I. 19. 23 sqq.:

Parios ego primus iambos
ostendi Latio numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
quod timui mutare modos et carminis artem,
temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar
nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
vulgavi fidicen.

Praeclare de his versibus Bentleius disputavit et pleraque ita expedivit, ut pauca ad eius adnotationem optimis inter recentiores criticos adiicienda sint visa. Unum restat, quod neque ab illo neque ab alio ullo interprete ita explicatum est, ut non magna etiam nunc dubitandi materies supersit. Saepe enim multi incerti fuerunt, quis is esset, quem Horatius a se vulgatum esse gloriatur v. 32: estque ea dubitatio admodum antiqua. Nam quum Bentleii aetate reliqui omnes, ut ipse ait, de Archilocho cogitarent, maluit ille artis princeps locum de Alcaeo interpretari: neque tamen primus

eam rationem monstravit. Duobus seculis ante idem placuerat Glareano, qui suas ‚in Q. Horatium Flaccum adnotationes' recognitas edidit Friburgi Brisgoiae a. 1535, isque rursus Iodocum Badium Ascensium suae sententiae auctorem laudat. At longius etiam regrediendum est. Quamquam enim veteres commentatores omnes Archilochum ibi significari arbitrati sunt, unus tamen ex iis non ignoravit, ab aliis Alcaeum intelligi. Porphyrionem dico, cuius adnotatio haec: ‚hunc ego] Archilochum scilicet non alium' certa, ut opinor, emendatione ita corrigenda est: ‚Archilochum scilicet, non Alcaeum.' Itaque si auctorum vetustate ipsam explicationum auctoritatem metiris, neutra neutri praeferenda est: si ad solam grammaticam rationem respicis, nihil videtur inveniri posse, cur alteram utram solam probemus. Poterat etiam tertia addi: cur enim non licuerit Horatio de pede Archilochi, quem de universo metro iambico interpretantur, hoc dicere, se primum inter Romanos fuisse, qui illo in lyricis carminibus (‚Latinus fidicen') uteretur? Alio igitur quasi Lydio lapide egemus, ad quem ista sententiarum diversitas exigatur, isque in ipsa totius loci forma versuumque coniunctione positus est. Nam illud quidem credi non potest, Horatium, quum antea dixisset, se primum Parios iambos Latio ostendisse, paucis interiectis iterum dicturum fuisse, iambicum metrum ad lyrica carmina condenda a se primo adhibitum esse: neque magis consentaneum videtur, ad Archilochum in extremis versibus rediri, quod nomen iam antea aliquoties commemoratum fuit. Longe profecto speciosior ea ratio est, quam et Bentleius tuetur et recentiores, quod sciam, omnes. Sua enim merita si celebrare volebat Horatius, non erat, cur in epodon libello paucisque carminibus iis, quibus etiam postea Archilochum expressit, ita subsisteret, ut carminum ex Aeolico genere nullam mentionem faceret, praesertim quum ipsum alibi aliquanto aliter locutum esse con-

stet. Solum autem Alcaeum nominatum esse propterea, quod Sapphicum metrum etiam Catullus attigerat, acute suspicatur Bentleius, eaque ratio praestat quorundam opinioni, qui ‚quod ad huius loci sensum universum attineret, utrumque poetam simul significari' statuerunt. Quae quum ita sint, in rebus ipsis nihil inest, quod legentem magnopere moretur: at inest in verbis. Haec enim ‚hunc ego non alio dictum prius ore' quo potissimum modo interpretabimur, quum verbi vis tam late pateat, ut diversissima excogitari queant? Num Alcaei nomen a nullo Romano scriptore ante Horatium communi notitiae commendatum fuit, ita ut a nemine diceretur? At hoc et alienum ab hoc loco et vel ideo falsum est, quod ipse Cicero Alcaeum nominavit. An a nullo e prioribus poetis digne laudatus est, ut profitentur fere poetae, ea se dicturos esse, quae carminibus celebrare suscipiunt? At quantulum id meritum est, laudasse transmarinum poetam, qui potius aut aemulandus aut certe imitatione exprimendus erat. An Alcaeum dicere eodem modo dictum est, quo sat. I. 10. 19 quidam ‚nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum' ab Horatio dicitur? At tum quidem licebat omnibus cum Horatio de palma certare, qui didicissent Alcaei carmina Graece recitare, ac nimis profecto modestus fuisset poeta, si suam poesin totam ad Alcaeum acceptam rettulisset ipseque plus quam servilem imitationem professus esset eo loco, quo in imitatores graviter invehitur. Nihil ex his est, quod ullo modo ferri possit, ac tamen meliora neque ipse invenio neque, in tanto interpretum silentio, ab aliis inventa esse arbitror. Unum addo. Si scripsisset Horatius, Alcaeum nullo prius ore locutum esse, id neque plane nove neque absurde dictum videretur: at longe inde distant, quae nunc eduntur, atque fallax est levis quaedam similitudinis species, quae festinantius legentes fortasse decipere possit. Qua obscuritate quum suspecta reddatur vulgatae scripturae auctoritas,

altera dubitatio accedit. Hoc enim si laudare volebat Horatius, quod idem et Archilochi iambos et Lesbiorum poetarum artem in Latium transtulisset, quae natura sua admodum diversa sunt, ita etiam debebat disiuncta commemorare, ut unusquisque facile inter legendum illum in duobus poesis generibus principem ac signiferum fuisse intelligeret. Cui exspectationi parum respondere ea, quae nunc feruntur, multorum exempla demonstrant, qui, quum docti profecto et ingeniosi homines essent, totum tamen locum ad solam iambicam poesin referre maluerunt, quam duplicis meriti laudem agnoscere. Quare donec probabilior illius versus explicatio ab acutioribus inveniatur, librarios peccasse credam, quamquam ipsum illud ‚dictum' nolim in suspicionem adducere. Corruptela potius in hac vocula ‚prius' latere videtur, quae etsi non plane intolerabilis est, otiosa tamen est neque quicquam ad sententiam explicandam confert: quidquid enim illud est, quod primus vulgavit Horatius, si id eo tempore, quo ab illo vulgabatur, ‚non alio ore dictum' fuit, nemo est quin intelligat, e prioribus neminem id attigisse. Itaque quod nunc ‚prius' est, aliud olim neque vulgare vocabulum fuisse coniicio, quod, quum sive casu obscuratum sive a librariis minus doctis corruptum esset, scite a grammatico ita mutatum sit, ut prius evaderet. Haud ignoro, hoc coniecturarum genus recte aliquanto minus probabile haberi eo, quod ipsam literarum similitudinem sequitur: at viderint tamen viri docti, num incredibile sit, Horatium ita scripsisse:

hinc ego non alio dictum melos ore Latinus
vulgavi fidicen.

Constat enim melos proprium eiusmodi carminum vocabulum esse, qualia Horatius condidit, qui ipse carm. III. 4. 1 Calliopen ita invocat ‚descende coelo et dic age tibia regina longum Calliope melos': idque vocabulum non fuisse ita

notum, ut non facile corrumpi posset, demonstrant quodammodo, si tanti est, quae Acron et Cruquianus commentator de eius vi sibi dicenda existimaverunt.

Epist. II. 2. 170 sq.:

sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
limitibus vicina refugit iurgia.

Refugit quum in antiquissimis codicibus sit, recte fecerunt recentiores critici, quod Bentleium secuti non sunt: illi enim quod unice probabatur refigit, id in mediocribus tantum libris repertum est, neque ab ipsa sententia eam commendationem habet, ut alteri lectioni praeferendum videatur. Idem quod quaesivit, cur refugit praeterito tempore posuisset Horatius, interpretibus nimius videtur in quaerendo fuisse, quoniam perfectum tempus ἀορίστως positum esse appareat. Est is perfecti usus frequens in similibus, quibus poetae quae narrant aut variare student aut illustrare, neque multo rarior in sententiis universe dictis, velut epist. I. 19. 48: alia exempla, quae certatim afferri solent, aut aliter explicari possunt, aut inveniuntur in iis carminum partibus, quae totae fervidius scriptae sunt atque a communi sermone abhorrent. Non mirarer igitur, si e carminibus Horatianis vel plura etiam exempla collegisset Dillenburgerus ad carm. I. 1. 4, quamquam ibi quoque nonnulla irrepserunt ab hac causa aliena: in satiris atque epistolis tale quid vix exspectaveris. Neque fallax ea exspectatio est: si enim ab iis locis discesseris, ubi infinitivis perfecti temporis ita utitur Horatius, ut vix videantur certo limite a praesentis temporis infinitivis separari posse, quod saepe ab illo factum est, unus, si recte memini, locus superest ad fraudem faciendam accommodatus epist. II. 1. 200: ‚nam quae pervincere voces evaluere sonum, referunt quem nostra theatra.' At hunc non video cur non liceat ita interpretari, quasi dixerit poeta: ‚nam quae unquam voces tam sonorae fuerunt, ut in tanto theatrorum strepitu,

quantus nunc excitari solet, vel audiri potuisse videantur.' Dubito igitur, num satis caute Graecorum aoristum in eos versus, de quibus disputamus, transtulerint: est enim illorum sententia ita simplex, ut etiam a dictione omnia eiusmodi artificia abesse debuerint. Neque tamen obstinate refragarer, si, adoptata illa interpretatione, reliqua recte procedere intelligerem. Quod quidem secus videtur. Nam quod aiunt, populum hic ea evitare ipsam dici, quae ut ab aliis evitentur faciat, iterum in simplicissimo loco ad poetici sermonis licentiam provocant, illudque artificium ad interpretandum adhibent, quo Latini poetae in adiectivis saepissime utuntur, at longe rarius in ceteris vocabulorum generibus. Atque vertitur summa rei in ipso verbo, quo equidem Horatium, quum de arbore diceret in limite agri posita, vix ullum opinor minus aptum invenire potuisse. Refugimus enim ea, quae nobis tam non iucunda sunt, ut iis nos subducere cupiamus: refugit pater filii nuptias, quum mavult paterno ea in re officio se subducere, quam patienter illas ferre, recteque Vergilianus Aeneas (II. 12) haec dicit: 'quamquam animus meminisse horret luctuque refugit, incipiam': totus enim eius animus in se ipsum se contrahit neque vult ad narrandi officium accedere. Iam haec transfer in limitaneam illam populum: habebis arborem ita pacis amantem, ut malit radicitus aliorsum transmigrare, quam vicinorum iurgiis interesse. Et quid, quaeso, perversius est, quam ea de arbore, quae propter id ipsum laudatur, quod immota sua in sede maneat et pro termino sit, id praedicare, quod totum est in retrogrado motu positum? His causis adducor, ut tale aliquid ab Horatio scribi potuisse negem: quumque ipsa librorum discrepantia levem quidem, sed aliquam tamen suspicionem moveat, emendatione e carm. III. 3. 28 repetita, locum ita corrigendum esse arbitror:

sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
limitibus vicina refringit iurgia.

Quod vocabulum quo fortius est, eo etiam huic loco accommodatius videtur. Neque tamen deerunt fortasse, qui vulgatam lectionem Servii auctoritate, qui utitur illo versu ad Aen. VI. 603, ita munitam putent, ut temerarium sit, si quis de mutatione cogitet. At ii quidem haud scio an Serviano commentario, qualem nos habemus, parum caute utantur. Nam in bonis etiam codicibus interdum a librariis erratum esse in iis scriptorum locis, quos excerpsit grammaticus, satis vel uno Horatii versu carm. I. 17. 22 demonstratur, qui ad Georg. II. 456 in codd. Petri Danielis (utor edit. Colon. Allobrog. 1620) ita exhibebatur: ‚nec se Mars melius cum Marte confundet Thyoneus.' In aliis ipse Servius aut mutavit aliquid pro sui instituti ratione, aut memoria videtur lapsus esse. Liberius versatus est in hoc versu carm. II. 13. 21, quem ad Georg. III. 407 ita adscripsit: ‚quam paene vidimus furvae regna Proserpinae', vel, ut in antiquiore Servii editione legitur quae Basileae apud Valderum a. 1534 prodiit: ‚quam paene f. r. P. vidimus.' Memoria lapsus videtur, quum ad Aen. XI. 403 Horatium (epod. 16. 27) haec scripsisse monuit: ‚et ante Padus Matina laverit cacumina.' Illud quoque vereor ne ipsius culpa commissum sit, quod ad Georg. II. 149 Horatianus locus carm. II. 6. 17 ita scriptus legitur: ‚ver ubi longum tepidasque praebet Iuppiter umbras': est enim error satis speciosus, quum ‚Iuppiter umbras' Adonium versum efficiat. Alium locum vix dubitari potest quin librarii ex ipsis Horatianis codicibus, quos ad manum habebant, praepostere correxerint, quum aliter in commentario scriptum repperissent. Etenim hic versus carm. I. 18. 15 ad Aen. IX. 633 et in P. Danielis libris et in aliis ita laudatus est: ‚attollens vacuum plus nimio gloria verticem': at attollens in mediocribus tantum Horatii codicibus

est, quum optimi et antiquissimi et tollens exhibeant. Constat denique, Servium, quum propter unum aliquod vocabulum ad alios scriptores provocat, plerumque non integris versibus totisve enuntiatis uti, sed parte eorum ea, in qua inest id ipsum, quo ad rem perspiciendam opus est. Eum morem num satis accurate observaverint vel librarii vel editores, magnopere dubito: imo videntur interdum totum in partis locum substituisse. Pro exemplo idem ille versus sit, de quo supra diximus, carm. I. 17. 22: is enim in Valderiana editione hanc induit formam: ‚nec Semeleius cum Marte confundet Thyoneus proelia.' Idem, nisi fallor, in eo versu evenit, a quo profecta est haec disputatio: nam quum uno vocabulo adsita opus esset, non video, cur plura quam ‚populus adsita' sibi adscribenda duxerit grammaticus. Cetera a librariis addita esse, non temere mihi videor coniicere. Qui enim meminerit, Servium etiam in minimis rebus saepe ad Horatium confugere, ita ut non dubitet Horatianum versum carm. II. 13. 21 satis inutiliter afferre, quum demonstrare vult, furem a furvo dictum esse (quae M. Varronis opinio fuit, Gell. I. 18): is aegre sibi persuaderi patietur, eum, si refugit in suo Horatii codice legisset, illum versum non adhibiturum fuisse ad Aen. II. 12, ubi quae scripsit: ‚refugit] propter metrum pro praesenti praeteritum posuit', ne ipse quidem ignorare potuit quam exilia essent.

XV

In ultimum hoc caput congeram nonnulla, quae, quamvis minuta sint, digna tamen videbantur, quae semel adnotarentur. Initium faciam a duobus locis, quos ex earundem literarum permutatione corruptelam traxisse existimo.

Facete ab Horatio in libro de arte poetica magister

aliquis, Flavii illius Venusini, ad quem pueri itabant ‚laevo suspensi loculos tabulamque lacerto' (sat. I. 6. 74), non plane dissimilis, cum discipulo colloquens inducitur his versibus (v. 326 sqq.):

‚dicat
filius Albini, si de quincunce remota est
uncia, quid superat? poteras dixisse.' ‚triens.' ‚eu
rem poteris servare tuam. redit uncia, quid fit?'
‚semis.'

In quibus interpretandis quum non facile sit, verba inter magistrum ac discipulum ita distribuere, ut nihil neque desit neque supersit, post multos priorum errores rectam rationem Orellium et Hauptium secutos esse arbitror: quod restat, aliquanto levius est. His enim ‚poteras dixisse' in pueris erudiendis nunc etiam haud raro utimur, sed utimur tum demum, quum quis ea iam in numerato non habet, quae olim perdidicerat, aut videbatur certe perdidicisse. Inest igitur in ea formula lenis vel tarditatis vel levitatis reprehensio, quae ab hoc loco aliena videtur, quum puer, quem veteres commentatores famosi foeneratoris filium dicunt, vel laudetur a magistro atque ad alteram quaestionem promptissime suum illud ‚semis' respondeat. Id qui intellexit, Orellius, ea verba magistri esse iudicat non tam corripientis ‚quam cum leni *εἰρωνείᾳ* excitantis, quum certus sit, puerum illico recte esse responsurum.' At ista *εἰρωνείας* figura, qua permulti interpretes non recte utuntur ad ea, quae quis scripsit, in contrariam sententiam detorquenda, haud scio an hoc loco insigniter abusus sit vir eximius. Potest quidem aliquis ita vituperari, ut in ipsa vituperatione magna laus insit, at eo artificio in pueris nemo facile utetur, ac si quis tamen usus est, non licet poetae, praesertim in carmine ‚sermoni propiore', ea scribere, quae non possunt recte intelligi, nisi ea figura adhibita, ad quam in verbis minime ambiguis tum

demum confugimus, quum apparet, per totum carmen vel magnam eius partem eam interpretandi viam sequendam esse. Hoc tamen et Orellius et alii recte senserunt, discipulum magistro valde probari: quo quum adiicimus, ipsas quaestiones magistro non faciles videri (quod si secus se haberet, non fuisset laudis tam prodigus), apte illum fecisse iudicabimus, si eadem formula usus est, qua adhuc utimur, ut significemus difficilia nos interrogare, at etiam eiusmodi oneri parem a nobis haberi discipulum. Quod si voluit, ita ei loquendum fuit:

‚si de quincunce remota est
uncia, quid superat? poteris dixisse.'

Poteris quod redit in versu proxime sequente, eo non puto coniecturam meam refelli: auribus enim haec ‚poteras-poteris' iuxta posita vix iucundiora esse arbitror. Longeque maioris momenti hoc est, quod observasse mihi videor, Horatium perfecti temporis infinitivos cum iis potissimum verbis coniungere, quorum ea vis est, ut tota ad futurum tempus spectent. Ex eo genere haec sunt: humasse velit sat. II. 3. 187. nolint tetigisse sat. I. 2. 28. cures fecisse epist. I. 17. 5. perspexisse laborant a. p. 435. commisisse cavet a. p. 168. tetigisse timent fugiuntque a. p. 455. al.

Simile quiddam accidit in suavissima epistola I. 4. ad Albium Tibullum scripta, cuius hic versus (6): ‚non tu corpus eras sine pectore' neque cum praecedentibus neque cum iis qui sequuntur recte videtur coniungi posse. Ipsa enim verba quod ita explicant interpretes ‚non eras olim brutus atque excors homo neque terrae pondus inutile': id sic nude positum et admodum otiosum videtur et dubito num ipsi Tibullo placiturum fuerit. Nam de amici virtute ac felicitate tam plene et prorsus egregie ab Horatio disseritur v. 6—11, ut eiusmodi additamentum, idque vel primo loco positum, vix ferri possit aequo animo: quantula enim laus

est, quum aliquem non plane brutum atque excordem esse benigne scilicet pronuntiamus. Ipsum vero Tibullum vel laedi debuisse crediderim tali laude, quae et nimis moderata est et, quum tota ad ea referatur, quae olim fuerint, quandam mutationis in deterius factae suspicionem continet. Hoc ut extenuent, provocant nonnulli ad temporum, quam dicunt, enallagen, ita ut eras idem hic sit quod es: at male actum foret nobiscum, si grammaticorum figurae adhibendae essent, ut intelligeremus, nos non laedi ac violari ab amicissimis. Iam ad praecedentes versus respiciamus: ‚quid nunc te dicam facere in regione Padana? scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat? an tacitum silvas inter reptare salubres curantem, quidquid dignum sapiente bonoque est?' Mirarer, si non vidisset Horatius, praeter haec duo, quae facientem fingit amicum, dari etiam tertium. Nam quum neminem fore putem, qui, Acronem et Porphyrionem secutus, silvas salubres de philosophorum libris interpretari malit, quam de iis silvis, quarum cupidos fuisse poetas et aliunde scimus et ex Iuvenalis satira septima (v. 58) cognoscimus: non video, cur non potuerit Tibullus in silvis otiari ‚nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae', ita ut serium nihil ageret curasque ad unam omnes ‚cessatum duceret.' Ea ingenii remissio optime convenit mollioris naturae homini, qualem Tibullum fuisse ipsa eius carmina demonstrant: eaque qui utitur, recte potest ‚corpus sine pectore' appellari, quum solum corpus curet, intermissa animi ingeniique cultura. Ita si cum praecedentibus haec ‚non tu corpus eras sine pectore' coniunguntur, vix videtur dubitari posse, quin Horatius, siquidem proprie ac simpliciter loqui volebat, non contorte atque obscure, hoc modo scripserit: ‚non tu corpus eris sine pectore.' Quamquam enim non nego, in futuro etiam tempore suspicionis aliquam significationem latere; multum tamen interest, utrum amicos nostros plane

brutos esse suspicemur, an ad tempus mollius ac remissius agere; neque dedecebat ea suspicio Horatium, qui in extremis epistolae versibus ingenue confitetur, se ipsum mollitie ac desidia paene diffluere: ‚me pinguem et nitidum bene curata cute vises, quum ridere voles Epicuri de grege porcum.' Has denique literas A et I haud raro a librariis permutatas esse, et alii monuerunt, velut Drakenb. ad Liv. XXI. 10. 12, et Horatiano exemplo confirmavit Bentleius ad epod. 17. 60.

Transeo ad duos locos, quibus item unam atque eandem medicinam adhibendam censeo. Prior hic est sat. I. 3. 6. sqq.:

si collibuisset, ab ovo
usque ad mala citaret ‚Io Bacche', modo summa
voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.

Quum non pauci olim dubitassent, utrum in secundo horum versuum ‚Io Bacche' scribendum esset, an ‚Io Bacchae', quod et codicibus quibusdam confirmari viderant et metro solum satisfacere iudicabant, atque ipse Bentleius ea de quaestione ita dixisset, ut certi nihil poneret: recentiores ‚Io Bacche' retinuerunt, donec nuper alterius scripturae propugnator exstitit Carolus Lachmannus. Qui quum in commentario Lucretiano p. 76 haec scripsisset: ‚Horatii editorum superstitionem nemo probabit, ut spero, qui nondum ausi sint in libro I sermonum 3, 7 scribere io bacchae', adsentientem habuit Hauptium: mihi, ut verum fatear, nimis aculeate videtur locutus esse. Nam id sane superstitiosum foret, si quis in hac quoque causa ad Blandinios libros provocaret, in quibus omnibus io bacche fuit: at recte dicemus, cantorem in convivio longe facilius in ipsius Bacchi, qui inter pocula adesse credebatur, invocationem incidere potuisse, quam in Baccharum, quae nullae ibi erant, praesertim quum constet, sollenne apud Graecos fuisse, ut inter vina ἰόβακχος, quem vocabant, caneretur. Iis vero, qui in his ‚io Bacche' brevem vocativi syllabam propter arsin produci iudicabant,

quominus adsentiar ipsa loci sententia prohibeor. Apparet enim, Tigellium Horatio ineptum visum esse duabus de causis: nam et idem usque canticum aliquamdiu iterabat, et iterabat ita, ut, quoties ad eius initium rediret, alium ex iis tonis, quibus musici utuntur, sibi sumeret modosque, uti nunc loquuntur, transponeret, ac per singulos scalae locos ad vocis varietatem ostentandam modo adscenderet, modo descenderet. Tale quid qui unquam audiverunt, non ignorabunt, quam ridiculum ac plane intolerabile sit. Itaque non credo, Horatium duas res inter se diversas ita in unam conflasse, quasi earum necessaria quaedam coniunctio esset neque idem canticum saepissime iterari posset nulla eiusmodi transpositione adhibita. Imo persuasum mihi est, idem hic ab eo factum esse, quod fortasse vel in hoc versu sibi faciendum existimavit carm. I. 31. 17: ‚frui paratis et valido mihi, Latoe, dones.' Sic igitur videtur scripsisse:

usque ad mala citaret ‚io Bacche' et modo summa
voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.

Eadem emendatione hunc locum egere arbitror carm. III. 14. 10 sqq.:

vos, o pueri et puellae
iam virum expertae, male inominatis
parcite verbis.

Quamvis enim recte monuerint interpretes, puellas etiam vocatas esse, quae cum marito essent, magnopere tamen dubito, num aptum sit, eas, quas Ovidius nurus appellare solet, una cum pueris nominari. Nam qui eosdem hic pueros dici opinantur, qui antea ‚iuvenes nuper sospites' dicti sint quoniam incolumes cum Augusto e Cantabrico bello redierint, puellasque de illorum uxoribus interpretantur: eorum ratio vel ideo probabilis non videtur, quoniam credi vix potest, illos post tot discrimina superata in urbem redeuntes male inominato aliquo vocabulo usuros fuisse. Ac sen-

sum suum qui consulunt, aegre eo perducentur, ut pueros et puellas quum audiunt, de maritis atque uxoribus cogitent. At rectissime procedunt omnia, si unam voculam addideris hoc modo:

vos, o pueri et puellae ac
iam virum expertae.

Habebat sane Horatius, cur metueret, ne non boni ominis vocabula iis potissimum exciderent, qui propter aetatem ac sexum parum vel firmi vel prudentes viderentur: pueris, puellis, recens nuptis: recens enim nuptas intelligi, hoc ipsum demonstrat, quod ‚iam virum expertae' dicuntur. Accedit ad commendandam coniecturam quod ita demum enuntiati membris sua aequalitas restituitur. Nam quum antea v. 5 sqq. et Liviam, unico marito gaudentem, et Octaviam, clari ducis sororem, et matres sospitum iuvenum adhortatus esset Horatius, aptissime suum illud εὐφημεῖτε et pueris et puellis et iam virum expertis adclamavit, ita ut ternario numero ternarius responderet. et — ac similiter se excipiunt carm. III. 25. 10 sqq.: ac ante i consonam habes carm. I. 28. 19.

Haec quum olim excogitassem, postea demum intellexi, eandem rationem secutum esse Torrentium. Qui quum haec proposuisset: ‚vos o pueri et puellae et iam v. e.', graviter notatus est a Bentleio, cuius tamen alterum argumentum, haec ‚iam virum expertae' etiam virginum matres comprehendere, verum non videtur, quoniam particulae iam nulla ab illo ratio habita est. Alterum, quo utitur: versum hoc pacto nimis asperum scabrumque et rubiginosum exire, tale est, ut universe responderi non possit. Paullo fortasse mollior auribusque iucundior ea scriptura fuerit, quam nos commendavimus: gravius autem hoc est, quod alterum habemus locum eius, de quo disputamus, simillimum. Videntur enim in his versibus carm. III. 8. 27 sqq.:

parce privatus nimium cavere,
dona praesentis cape laetus horae et
linque severa

librarii eodem plane modo errasse. Nam quum libri satis boni ‚laetus horae linque' exhibeant, ita tamen, ut primum versum talem faciant ‚parce privatus nimium cavere et' magna sane elegantia Bentleii coniectura excellit, qui illud et e superiore versu in inferiorem transtulit: at nescio tamen, an certiora videri debeant haec, quae post Aldum Iacobus Cruquius, suos fortasse codices secutus, edidit:

parce privatus nimium cavere et
dona praesentis cape laetus horae ac
linque severa.

Leniore etiam mutatione sanari possunt hi versus, quibus incredibilis Scaevae nequitia describitur sat. II. 1. 53 sqq.:

Scaevae vivacem crede nepoti
matrem, nil faciet sceleris pia dextera: mirum
ut neque calce lupus quemquam neque dente ferit bos,
sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

Mirum ut quum in optimis libris sit, recentiores eam scripturam retinent, quamquam Bentleius longa adnotatione eius veritatem impugnavit. Quae tamen disputatio paullo infra summi viri dignitatem posita est. Nam neque ipsae eius coniecturae mirum ni vel mirum si valde probabiles sunt, neque in commendandis iis ita versatus est, ut ubique agnoscas virum et acutissimum et Latine doctissimum. Velut hoc, quod negavit mirum ad praecedentia referri posse, quoniam minime mirum esset matrem a filio non occidi, quis non videt parum accurate ab illo dictum esse? quae enim probi homines ne per somnium quidem cogitant, ea si non audet perficere cognitae et exploratae nequitiae homo, habemus, opinor, cur miremur: atque utut verba vel coniunguntur vel mutantur, hoc semper manebit, mirum id visum

esse Horatio, quod Scaeva matri manum non intulisset. Itaque quod ab illo discesserunt recentiores, recte fecerunt: neque tamen multo probabiliora effecerunt ipsi. Nam ut nihil dicam de Goelleri coniectura mirum quin, quae nemini, quantum scio, placuit, Orellii ratio locum ita interpretantis: ‚aeque mirum est hoc atque illud, quod — petit bos' etsi probata est non paucis, mihi ne tolerabilis quidem videtur. Qui enim credit, eam poetici sermonis brevitatem fuisse, ut poetae, quum vellet dicere: ‚id ita mirum est, ut mirum est quod bos dente non petit', haec scribere liceret: ‚mirum ut bos dente non petit', ei desperandum non est, posse ex quovis ligno Mercurium fieri. Codicum scripturam hanc unam arbitror explicationem admittere, ut ad decantatam illam *εἰρωνείαν* confugiamus poetamque aliter dixisse aliter sensisse statuamus. Quo facto haec fere sententia evadet: ‚Scaeva matrem non occidit: quid miraris? mirum scilicet est, quod lupus neminem calce adgreditur.' Ea vero ratio perobscura est, neque credo, ita scripturum fuisse Horatium, quum in promptu esset, ipso illo scilicet addito legentibus interpretandi viam monstrare. Vix igitur dubito, quin eaedem hic particulae permutatae sint, quae tantum non ubique permutantur, totusque locus ita scribi debeat:

Scaevae vivacem crede nepoti
matrem, nil faciet sceleris pia dextera (mirum:
at neque calce lupus quemquam, neque dente ferit bos)
sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

In quibus quod at et sed se excipiunt, id recte displiceret, si omnino satirae Horatianae ad perfectae et consummatae elegantiae normam exigendae essent, quod aliquanto secus se habet: obscuritas nulla inde oritur, quum tota *παρένθεσις* facillime a ceteris distinguatur.

Ingeniose at subobscure Horatius equitem cum equo colloquentem descripsit epist. I. 15. 11 sqq.:

praeteragendus equus. ‚quo tendis? non mihi Cumas
est iter aut Baias' laeva stomachosus habena
dicet eques: sed equis frenato est auris in ore.

Debent enim haec obscura videri, quum recordamur, quantopere in iis explicandis plerique interpretes erraverint. Est autem tota difficultas in una vocula sed posita: quae quum significet praecedentibus aliquid opponi, hic vix quicquam invenies, quod oppositum dicas. Ea certe interpretatio, quam Cruquius monstravit his verbis: ‚sed eq. fren.] h. e. quid stomacharis verbis in equum et irasceris, quando non ignoras habena, non verbis agendum equum?', a qua proxime absunt ceterorum sententiae, vera non videtur. Horatius enim non hoc solum scripsit ‚dicet eques', sed addidit ‚dicet laeva stomachosus habena', ita ut id ipsum, quod ex altero enuntiati membro efficere student, insit in priore, neque ullum oppositionis vestigium compareat. Fuit igitur — nisi memoria deceptus mea pro alienis vendito — qui ultimum versum ita scribere vellet: ‚dicet eques: et equis frenato est auris in ore'; eamque rationem veram iudicarem, nisi in hac quidem vocula nulla inesset interioris, quam dicunt, coniunctionis significatio, ea autem, quae Horatius posuit, non colliganda solum, sed implicanda fuisse viderentur. Itaque ea particula, quam modo a versu ex satiris sumpto alienam iudicavi, huc translata, ipsum Horatium haec olim scripsisse existimo:

laeva stomachosus habena
dicet eques, ut equis frenato est auris in ore.

I. e. ut equorum ea natura est, ut aurem in frenato ore habere videantur, ita ei, qui colloqui volet cum equo, habena loquendum est. Similiter explicandus est hic versus epist. I. 19. 3, ubi de particulae vi magnopere dissentiunt interpretes.

In duobus locis, ad quos tractandos accedimus, criticam artem deseremus, siquidem omnem de interpunctione quae-

stionem recte nunc plerique grammaticorum dicunt esse, non criticorum. Falso mihi ab editoribus interpungi videntur hi versus epist. I. 16. 30 sq.:

quum pateris sapiens emendatusque vocari,
respondesne tuo, dic sodes, nomine?

Nam quum ex antiquioribus nonnulli eam rationem secuti essent, ut nomine dicerent antiquam dativi formam esse, recentiores, quibus id durum ac vix Horatio dignum videbatur, maluerunt de sexto casu cogitare. Atque illud quidem recte fecerunt: interpretandi negotium dubito num feliciter iis cesserit, imo quam nunc plerique explicationem amplectuntur, eam mihi non satisfacere ultro profiteor. Milites enim, a quibus formulam sumptam volunt, quum ex albo citantur, respondent ad nomina, non ipsis suis nominibus: apparet autem, si quando talia in plane diversas res per similitudinem quandam transferantur, in ipsis iis, quae transferuntur, nihil mutandum esse, quum non deceat ea, quae ipsa ut intelligantur attente legenda sunt, impeditiora etiam atque obscuriora reddere. Tollitur autem omnis eiusmodi difficultas, si alterum versum ita scribimus:

respondesne tuo ‚dic sodes' nomine?

i. e. qui te sapientem emendatumque vocant, faciunt id sane suo periculo: tu vero quum talia patienter audis, non correcto illorum errore, nonne id idem est, ac si unicuique ita te laudanti tuo nomine respondeas ‚dic sodes'? Tam blando vocabulo cur uti dicatur homo vanus et nimis sibi placens, intelligitur ex his, quae subsequuntur: ‚nempe vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.'

Simili vitio haec laborant sat. I. 3. 38 sqq.:

amatorem quod amicae
turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.

Non possum mihi persuadere, Horatium, qui totum hunc

locum eo consilio scripsit, ut doceret, idem, quod amatoribus eveniret, nobis ipsis in amicis existimandis sequendum esse, tam dure locuturum fuisse, ut de turpibus vitiis diceret. Haec enim si a corpore ad animum transferimus, tolerandi erunt amici, quamvis turpibus vitiis infecti sint, sordida avaritia, fraudulentia, foeda libidine, aliis: quod nemo sanus praecipiet. Neque credibile est, turpia amicarum vitia ita multis placuisse: polypum enim quod commemoravit poeta, insigni aliquo exemplo uti voluit, atque ipse etiam polypus vix poterit turpe vitium appellari, quum multi eo laborent, quos nemo laborare suspicatur. Alienius etiam id nomen a naevis et maculis est, quarum scite mentionem iniecit Eilhardus Lubinus in paraphrasi huius loci. At quae coniuncta duriora sunt, quam ut ferri posse videantur, singula recte se habent: possunt enim ea, quae amantes aut fallunt aut delectant, et turpia dici et vitia. Itaque ea interpunctio vera erit, quam ipsa versus caesura quodammodo monstrat: ‚turpia decipiunt caecum, vitia aut etiam ipsa haec delectant.'

Redeo ad criticam artem factitandam. Quoties ea legi, quae de Pollione et Vario Horatius scripsit in decima primi libri satira, toties eadem mihi dubitatio oborta est. Versus hi sunt 42 sqq.:

Pollio regum
facta canit pede ter percusso: forte epos acer,
ut nemo, Varius ducit.

Quos qui festinantius inspexerit, omnia rectissime se habere iudicabit: tragicos enim poetas in factis versari, et plurima exempla demonstrant et confirmat ille tragicae poesis legislator, qui poet. 6. 2 haec scripsit: *ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας.* At dubito tamen, num is poeta, qui diversa artis genera distinguere volebat, tragicis poetis facta tributurus fuerit, quae eodem aut ma-

iore etiam iure epici sibi vindicare poterant. Addidit quidem haec ‚pede ter percusso', quibus id versuum genus descripsit, quod scenicae poesis proprium erat: at epicam et tragicam poesin ita definire, ut in factis celebrandis alteram hexametris uti dicas, alteram trimetris, rude quiddam habet et paene puerile, quod non dignum videtur Horatio, qui libro de ipsa poetica arte scripto magnam laudem meruit. Accedit quod in eodem versu epos forte dicitur: quod eius epitheton vix poterit satis explicari, nisi carminis fortitudinem in eo cerni statuis, quod poeta totus in rebus gestis vel narrandis vel describendis versetur, ita ut ipsum carmen inde colorem ducat. Est enim epicorum poetarum ‚res componere gestas', ut ait Horatius epist. II. 1. 251, neque alia de causa in eiusdem epistolae v. 50 Ennium fortem appellari existimo, quam quod ‚panxit maxima facta patrum' (Cic. Tusc. I. 15. 34). Haec si vera sunt, nemo facile negaverit, Horatium exiliter locutum esse, si intra unum versum et epos propter facta forte appellavit, et Pollionem laudavit, quod in tragoedia facta caneret. Est id tale, ut fortasse etiam bono poetae excidere potuerit: at quum lenissima mutatione omnem dubitationem tollere idque restituere liceat, quod aptissimum est, equidem vix ausim contendere, librarios ea vocabula, quae saepe in codicibus permutata sunt, hoc loco tam accurate distinxisse, ut plus illorum diligentiae tribuendum sit, quam legentium iudicio. Veram igitur scripturam hanc esse coniicio:

Pollio regum
fata canit pede ter percusso: forte epos acer,
ut nemo, Varius ducit.

Nam illud quidem verendum non erat, ne hanc formulam ‚fata canere' ita positam de vaticinandi facultate interpretarentur: fatalis autem necessitatis in antiqua tragoedia eas partes fuisse constat, ut quae in scenis agerentur ‚coniunctis

viribus libertas et necessitas gererent', quae verba huc transtuli e Godofredi Hermanni commentatione de tragica et epica poesi cum Aristotelis libro de arte poetica edita p. 267.

Atque in hoc Hermanni nomine, magistri olim mei, cui non possum dicere quam et multum et multa debeam, cum suavissima tanti viri recordatione acquiesco: quae enim addere volebam, ea in aliud tempus differo, ne invitus incidam in eam coniectandi intemperantiam, quae oritur fere ex nimia criticorum studiorum uno in scriptore positorum diuturnitate. Quodsi iudicaverint periti harum rerum existimatores, nonnulla me recte emendasse, in aliis errasse, at via tamen et ratione errasse, delirasse aut nunquam aut perraro: id me effecisse putabo, quod solum his viribus accommodatum esse sentio.

p. 79	l. 19.	Addi possunt duo longioris formae eheu exempla: suspiret eheu | ne rudis agminum III. 2. 9 singulos eheu | lacerant: ego illis III. 11. 42.
p. 81	l. 29	l. discesseris
p. 82	l. 29	l. commentarios
p. 83	l. 2	l. dicit — videt
p. 92	l. 20	l. alios
p. 93	l. 11	l. coniungebant
p. 95	l. 3	l. fuerunt
p. 98	l. 4	del. video
p. 111	l. 26	l. medicum vel
	l. 33	l. ‚hoc genus'
p. 113	l. 15	l. adsumpto
p. 117	l. 12	l. tractandis
p. 122	l. 10	l. Qui quod
p. 128	l. 31	l. notum est earum.
